578.

EPISTOLARVM LACONICARVM AC *SELECTARVM FARRAgo altera, in qua Latina tantum continentur.*

BASILEAE,
1554.

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM LIBRI TRES A IOANNE Sturmio puerili educationi confecti.

IOAN. STVRMIVS IAcobo Sturmio fratri S.



Vdiuisti sæpe, ut memini, ex me Iacobe frater, studiorũ nostrorum finem, rerum cognitionem, & orationis elegantiam esse debere. Rerum etiam doctrinam, sine sapientia religionis, minimum prodesse: & dicendi rationem absque optimorum scriptorum aßidua lectione atque artificiosa imitatione, non cōparari talem, qualem desideramus. Itaque sæpenumero dixi, si meministi, ad religionē pueros excitandos esse, & proponēdum illis in scholis Ciceronem: quorũ altera mentem, alter linguam optimè poßit informare. Sed habēda ratio est, in educatione linguæ,


non ſolū ætatum, ſed etiam uirium & ingeniorū. Ab epiſtolis principiū rectè ſumi poteſt, ſi deligātur quæ argumēto faciles ſunt, & ſunt rerū non ignotarū, atque huiuſmodi uerbōrū, quæ in noſtra manſerūt conſuetudine. Hāc rationem ego in hiſce tribus libris cōficiēdis ſecutus ſum, neq; artificioſiſſimè, neq; ſapientiſſimè ſcriptas epiſtolas legi: ſed quæ à pueris intelligi poſſent, & haberēt noſtræ cōſuetudinis uerba, & ſermonis quotidiani ſententias, earūq; formas, nobis quidē non uſitatas, ſed tamē apertas, & elegātes, et doctas. Has ego ad te mitto, quo uideas me in eadē adhuc eſſe ſententia, in qua fui olim. Amabo te mi optatiſſime frater, perge porrò in hoc literarū curriculo progredi. Audio nihil de ſtudijs tuis, abſum procul, metuo ualde, cū cogito poſſe fieri, ut nō meis optatis, & patris expectationi ſatisfacias. Expecto literas tuas, ut intelligā tum quantum profeceris, tum quantum de te poſſimus deinceps ſperare. Vale. Argentinæ, tertio Calend. Febru. Anno 1 5 3 9.

M. T.

530

M. T. CICERO TE-
rentiæ S. P. D. Famil. lib. 14.

Epistola 22.


I uales, bene est, ego ualeo. Nos quotidie tabellarios ue strôs expectamus: qui si uenerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemús que te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Cal. Septēb.

Eidem 14. 21.

SI uales, bene est, ego ualeo. Da operā ut conualescas. quid opus erit, ut res, tempusque postulat, prouideas, atque administres, & ad me de omnib⁹ rebus quàm sæpissimè literas mittas. Vale.

Eidem 14. 8.

SI uales bene est, ego quidē ualeo. Valetudinem tuam uelim cures diligentissimè. Nam mihi & scriptum, & nunciatum est, te in febrim subitò incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris literis certiorem, fecisti mihi gratū. Itē posthac si quid opus erit, si quid accide-

rit noui, facies ut sciam. Cura ut ualeas. Vale. Datum 4. Nonas Iunias.

Eidem 14. 24.

SI uales, bene est, ualeo. Nos neque de Cæsaris aduentu, neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quicquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. tertio Idus Sextilis.

Eidem 14. 23.

SI uales, bene est, ualeo. Redditę mihi iam tandem sunt à Cæsare literę satis liberales: & ipse opinione celerius uenturus esse dicitur. Cui obuiam procedā, an hic eum expectem, cum constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi uelim quamprimùm remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. prid. Calend. Sextil.

Eidem 14. 17.

SI quid haberem, quod ad te scriberē, facerem id, & pluribus uerbis, & sæpius. Nunc quæ sunt negotia, uides.

Ego

Ego autem quomodo ſim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoſcere. Tu fac,ut tuam, & Tulliæ ualetudinem cures.

Eidem 14. 15.

SI uales, bene eſt, ualeo. Conſtitueramus,ut ad te antea ſcripſeram, obuiã Ciceronem Cæſari mittere. Sed mutamus conſilium,quia de illius aduentu nihil audiebamus.De cæteris rebus,etſi nihil erat noui, tamen quid uelimus, & quid hoc tempore putemus opus eſſe, ex Sicca poteris cognoſcere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuã cura diligenter. Vale. duodecimo Calendas Quintileis.

Eidem 14. 19.

IN maximis meis doloribus excruciat me ualetudo Tulliæ noſtræ.De qua nihil eſt,quod ad te plura ſcribam. tibi enim æquè magnæ curæ eſſe certò ſcio. Quod me propius uultis accedere, uideo ita eſſe faciendũ, etiã antè feciſſem: ſed me multa impedierũt,quæ nũc quidẽ expedita ſunt. Sed à Pomponio expe

cto literas, quas ad me quàm primum perferendas cures uelim. Da operam ut ualeas.

Eidem 14. 12.

QVòd nos in Italiam saluos uenisse gaudes, perpetuò gaudeas uelim. Sed perturbati dolore animi, magnisq; iniurijs, metuo ne id cõsilij cæperimus quod non facilè explicare posśimus Quare quãtum potes, adiuua. Quid autem posśis, mihi in mentem non uenit. In uiam, quòd te des hoc tempore, nihil est: & longum est iter, & non tutum. Et non uideo, quòd prodesse posśis, si ueneris. Vale. Datum pridie nonas Nouemb. Brundusij.

Eidem 14. 11.

SI uales, bene est, ualeo. Tullia nostra uenit ad me pridie Idus Iunij: cuius summa uirtute & singulari humanitate, grauiore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longè alia in fortuna esset, atque eius pietas ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæsarem mittere, & cum

cum eo Cn. Salustium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam diligenter cura. Vale. 14. Calend. Quintil.

Tironi 16. 2.

SEptimum iam diem Corcyræ tenebamur. Q. autem frater, & filius, Butroti solliciti eramus de tua ualetudine mirum in modum: nec mirabamur, nihil à te literarum. his enim uentis isthinc nauigatur: qui si essent, nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te, & confirma: & cum commodè, & per ualetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui ueni. Nemo nos amat, qui te nō diligat. Carus omnibus, expectatusque uenies. Cura ut ualeas, etiam atque etiam Tiro noster. Vale, 15. Calend. Nouemb. Corcyræ.

Eidem 16. 4.

NOn queo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus: tantum scribo, & tibi & mihi maximæ uoluptati fore, si te firmum quàm primùm uidero. Tertio die abs te ad Alyziam accesseramus,

mus. Is locus est circa Leucadem stadia 120. Leucade aut teipsum, aut tuas literas à Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac utualeas, uel quantum te à me scis diligi. Nonis Nouemb. Alyzia.

Cicero filius Tironi S. P. D. 16. 15.

ETsi iusta & idonea usus es excusatione intermissionis literarum tuarũ tamen id ne sæpius facias rogo. Nam & si de Reipublicæ rumoribus & nuncijs certior fio, & de sua in me uolũtate semper ad me perscribit pater, tamen de quauis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cum in primis tuas desiderẽ literas, noli cõmittere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarum. Vale.

M. T. C. *Seruio Sulpitio* 13. 26.

HAgessaretus Larissæus magnis meis beneficijs ornatus in consulatu meo memor, & gratus fuit, meque postea diligentissimè coluit. Eum tibi magnopere cõmendo, ut & hospitem meum, & fa

miliarem

miliarẽ meũ, & gratũ hominẽ, & uirum bonũ, & principem ciuitatis suæ, & tua necessitudine dignissimũ. Pergratũ mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

Trebatio 7. 19.

EPistolam tuam, quam accepi ab L. Aruncio, conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non uel in concione rectè legi posset. Sed & Aruncius ita te mandasse aiebat, & tu adscripseras. Verùm illud esto. nihil te ad me postea scripsisse demiror, præsertim tam nouis rebus. Vale.

Q. Val. Q. Fil. 13. 7.

P Cornelius, qui tibi has literas reddidit, est mihi à P. Cuspio commendatus, cuius causam quantopere cuperem deberemque, profectò ex me facilè cognouisti. Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commẽdatione mihi Cuspius quàm maximas, quamprimùm, quàm sæpissimè gratias agat.

C. Mem-

C. Memmio. lib. 13. 3.

AVlum Fuſium, unum ex meis intimis, obſeruãtiſsimum, ſtudioſiſsimumq; noſtri, eruditum hominem, & ſumma hu manitate, tuaq; amicitia digniſsimum, uelim ita tractes, ut mihi coràm recepiſti. Tam mihi gratũ id erit, quàm quod gratiſsimum. Ipſum præterea ſummo officio, & ſumma obſeruãtia tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.

Cornificio. 12. 26.

SExtus Aufidius & obſeruantia, quà me colit, accedit ad proximos, & ſplẽdore equitis Ro. nemini cedit. Eſt autẽ ita temperatis, moderatisque moribus, ut ſumma ſeueritas ſumma cum humanitate iungatur. Cuius tibi negotia quæ ſunt in Africa, ita commendo, ut maiore ſtudio, magisúe ex animo commendare non poſsim. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuiſſe. Hoc te uehementer mi Corni fici rogo. Vale.

Baſilio

Basilio 6, 15.

TIbi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor, à te amari, & quid agas, quidq́ue agatur, certior fieri uolo. Vale.

D. *Brutus Imp.* Tul. *Cic.* 11. 4.

SI de tua in me uoluntate dubitarem, multis à te uerbis peterem, ut dignitatem meam tuerere; sed profectò est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curæ. Progressus sum ad trãsalpinos cũ exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quàm cupiens militibus satisfacere, firmosq́ue eos ad tuendas nostras res efficere: quod mihi uideor consecutus. nam & libertatem nostram, & animum sunt experti. cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cæpi, multa uastaui. Non sine causa ad senatum literas misi. Adiuua nos tua sententia. quod cum facies, ex magna parte cõmuni cõmodo inseruieris. Vale.

M. T. C. *Seruio Sulpitio* 13. 21.

ASclapone Patrensi medico utor ualde familiariter: eiusq́ue tum consuetudo mihi iucunda fuit, tum etiam ars,

quam ſum expertus in ualetudine meo-rũ. In qua mihi tũ ipſa ſcientia, tum etiã fidelitate, beneuolẽtiaq; ſatisfecit. Hũc igitur tibi cõmendo, & à te peto, ut des operã, ut intelligat, diligẽter me ſcripſiſſe de ſeſe, meamq́ue commendationem uſu magno ſibi fuiſſe. Erit id mihi uehementer gratum. Vale.

Appio 10. 29.

De meo ſtudio erga ſalutẽ & incolumitatẽ tuã, credo te cognóſcere ex literis tuorũ, quibus me cumulatiſsimè ſatisfeciſſe certò ſcio: nec his concedo, quanquã ſunt ſingulari in te beneuolentia, ut te ſaluũ malint, quàm ego. Illi mihi neceſſe eſt cõcedãt, ut tibi plus, quàm ipſi hoc tẽpore prodeſſe poſsim, quod quidẽ nec deſtiti facere, nec deſiſtam, & iã in maxima re feci, & fundamenta ieci ſalutis tuę. Tu fac bono animo magnoq; ſis, meq; tibi nulla re defuturũ eſſe confidas. Pridiè Nonas Quintileis. Vale.

M. *Mario* 7. 4.

Ad 9. Cal. Iulias in Cumanum ueni cũ Libone tuo, uel noſtro potius, in Põ

peianum

peianũ statim cogito: Sed faciam te antẽ certiorem. Tecum semper ualere cupio, tum certè, dum hic sumus. Vides enim quanto pòst unà futuri sumus. Quare si quid constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas. Cura igitur ut ualeas, & me hoc biduo, aut triduo expecta. Vale.

Planco Imp. Cons. Desi. 10.14.

O Gratam famam: biduo ante uictoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copijs, atque etiam hostibus fusis, spes omnis in te est. Fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronũ duces. Est enim non minus gratum extrema delere, quàm prima depellere. Equidem expectabam iam tuas literas, idque cum multis: sperabamq; Lepidum temporibus admonitum, tibi & Reip. satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe mi Plãce, ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatẽ. Quod si erit factum, & Remp. diuino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequere. Tertio Idus Maij. Vale.

Papyrio

Papyrio Pæto. 9. 23.

HEri ueni in Cumanum, cras ad te for tasse. Sed cum certum sciam, faciam te paulo antè certiorē. Etsi Marcus Cæparius, cum mihi in sylua Gallinaria obuiam uenisset, quæsissemque quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex pedibus laborares: tuli scilicet molestè, sę tamen constitui ad te uenire, ut & uiderem te, & uiserem, & cœnarē etiam. Nō enim arbitror cocum etiam te arthricū habere. Expecta igitur hospitem cùm mirimè edacem, tum inimicum cœnis sumptuosis. Vale.

Cn. Planco. 4. 15.

ACcepi perbreueis tuas literas, quibus id quod scire cupiebam, cognoscere non potui: cognoui autē id, quod mihi dubium non fuit. Nam quàm fortiter ferres communes miserias, non intellexi: quàm me amares, facilè perspexi. sed hoc scierā: illud si scissem, ad id meas literas accōmodassē. Sed tamē etsi antea scripsi, quę existimaui scribi oportere, tamē hoc tēpore breuiter cōmonendū pu

taui,

taui, ne quo periculo te proprio existimares esse: in magno omnes, sed tamen in communi sumus. Quare non debes aut propriam fortunam, aut præcipuam postulare, aut communē recusare. Quapropter eo animo simus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

Dolobellæ 9.12.

GRatulor Baijs nostris: siquidem ut scribis, salubres repente factæ sunt. nisi forte te amant, & tibi assentantur: & tādiu, dum ades, sunt oblitę sui. quod quidem, si ita est, minimè miror, cœlum etiam & terras uim suam, si tibi conueniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram. Itaque eam tibi misi. uelim sic legas, ut causam tenuē, & inopem, nec scriptione magnopere dignam: sed ego hospiti ueteri, & amico, munusculum mittere uolui Leuidēse, crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu uelim animo sapienti, fortique sis, ut tua moderatio, & grauitas,

aliorum infamet iniuriam. Vale.

M.T.C.Imp.M.Cœlio Aed. 1.23.

FAbio uiro optimo, & homine doctissimo familiarissimè utor, mirificeque eum diligo, cùm propter summum ingenium eius, summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam: eius negotium sic uelim suscipias, ut si esset res mea. Noui ego uos magnos patronos. Hominem occidat oportet, qui uestra opera uti uelit. Sed in hoc homine nullam accipio excusationem: omnia relinques, si me amabis, cũ tua opera Fabius uti uolet. Ego res Romanas uehementer expecto, & desidero, in primisque quid agas scire cupio. nam iamdiu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

Trebatio 7.23.

ILluseras heri inter scyphos, quod dixeram cõtrouersiam esse, posset ne hæres, quòd furtum antea factum esset, rectè furti agere. Itaque & si domum bene potus, seroque redieram, tamen id caput, ubi hæc controuersia est, notaui, & descriptum

descriptum tibi misi: ut scires, id quod tu neminem sensisse dicebas, Sextũ Helium, M. Manliũ, M. Brutum sensisse. Ego tamẽ Sceuolæ & Testæ assentior. Vale.

D. Bruto Imp. 11. 15.

ETsi mihi tuæ literę iucũdissimę sunt, tamẽ iucundius fuit, quòd in summa occupatione tua Planco collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret: quod fecit ille diligenter: mihi autem nihil amabilius officio tuo, & diligẽtia. Coniunctio tua cum collega, concordiaq; uestra quæ literis omnibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit. Quod superest, perge mi Brute, & iam non cum alijs, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, præsertim ad te, quo magistro breuitatis uti cogito. Literas tuas uehementer expecto, & quidem taleis, qualeis maximè opto. Vale.

T. Furuano Prætori 6. 9.

CVm A. Cecinna tanta mihi familiaritas, consuetudoque semper fuit, ut nulla maior esse posit. Nã & patre eius claro homine, & forti uiro plurimum

usi sumus:& hūc à puero, quod & spem mihi magnam afferebat summæ probitatis, summæque eloquentiæ, & uiuebat mecum coniunctissimè, non solum officijs amicitiæ, sed etiam studijs communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerem. Nihil attinet me plura scribere, quòd mihi necesse est eius salutē, & fortunas, quibuscunq; rebus possim, tueri, ut uides. Reliquum est, ut cum cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna & de Reipub. calamitatibus sentires, nihil à te petam, nisi ut ad eam uoluntatem, quam tua sponte erga Cecinnā habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me à te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

Cornificio collegæ S. 12. 20.

GRatæ mihi tuæ literæ, nisi quòd Sinuessanum diuersoriolū contempsisti. Quam quidē contumeliā uilla pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano & Pōpeiano reddideris πάντα περὶ πάντων.

Sic

Sic igitur facies, meque amabis,& scripto aliquo lacesses, Ego enim respondere facilius possum, quàm prouocare. Quod si,ut es, cessabis,lacessam,nec tua ignauia etiam inertiam afferet: plura ociosus. Hæc cum essem in senatu, exaraui. Vale.

Cornificio 12. 21.

CAius Anitius familiaris meus,uir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causa,legatus est in Africam,legatione libera. eum uelim rebus omnibus adiuues: operamque des, ut quàm commodissimè sua negotia conficiat.In primisque,quod ei charissimum est,dignitatem eius commendo. Idque à te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus,non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & id cognoueram à summis uiris factitatum. Hoc igitur mi Cornifici facies, cæterisque rebus omnibus eius dignitati, reique, si me amas, consules. Id erit mihi gratissimum. Da operam ut ualeas.

C. Caßio 12. 9.

BReuitas tuarum literarum me quoque breuiorem in scribendo facit: & uere ut dicam, non satis occurrit quid scribã. Nostras enim res in actis perferri ad te certò scio, tuas autem ignoramus. Tanquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, pręter rumore de oppresso Dolobella, satis illos quide constantes, sed adhuc sine authore. Nos confectum bellum cum putaremus, repente à Lepido tuo in summam sollicitudinẽ adducti sumus. Itaq; persuade tibi, maximã reipu. spẽ in te, & in tuis copijs esse. Firmos omnino exercitꝰ habemus: sed tamen ut omnia, ut spero, prosperè procedant, multum interest te uiuere. Exigua est enim spes Reipub. nam nullã non libet dicere: sed quæcunque est, ea despõdetur anno consulatus tui. Vale.

Acilio Proc. 13. 31.

LVcius Manlius est Sosis: is fuit Catinensis, sed est unà cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, Decurioq; Neapoli. Erat enim adscriptus in

id

id municipiũ, antè ciuitatẽ socijs & Latinis datã. Eius frater Catinę nuper mortuus est: nullã omnino arbitramur de ea hæreditate controuersiam eum habiturũ. Et est hodie in bonis. Sed quádo habet præterea negotia uetera in Sicilia sua, & hanc hæreditatẽ fraternã, omnia eius tibi commendo. In primisq; ipsum uirum optimum, mihiq; familiarissimũ, his studijs literarũ, doctrinaq; præditũ, quibus ego maximè delector. Peto igitur abs te, ut eum siue aderit, siue non uenerit in Siciliam, in meis intimis, maximeq; necessarijs scias esse: itaque tractes, ut intelligat, meam commendationem sibi magno adiumento fuisse. Vale.

M.T.C. & Cicero F. Tironi 16. 1.

VIde quanta in te sit suauitas, duas horas Thirei fuimus. Xenomanes hospes tam te diligit, quàm si uixerit tecum. Is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturum puto. mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadẽ deportares, ut ibi te planè confirmares. Videbis quid

Curio, quid Lysoni, quid Medico placeat. Volebā ad te Marionem remittere, quem, cum meliusculè tibi esset, ad me mitteres: sed cogitaui unas literas Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. Poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. Multi erunt, quibus rectè literas dare possis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo, nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius: ei te totū trade. malo te paulò ualentem, quàm statim imbecillem uidere. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu ualeas: cætera ego curabo. etiā atq; etiā uale. Leucade proficiscēs, 7. Idus Nouē.

M. T. & C. & Q. Fil. Tironi. 16, 7.

TErtiam ad te hanc epistolam scripsi eadem die, magis instituti mei tenēdi causa, quia nactus eram cui darem, quàm quod haberem quid scriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiæ. Ad tua innume

rabilia

rabilia in me officia, adde hoc quod mihi erit gratissimum omnium; cum ualetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam nauigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura te, mi Tiro. quando non cõtigit, ut simul nauigares, nihil est, quod festines: nec quicquam cures, nisi ut ualeas. etiam atque etiam uale. 7. Idus Nouembris. Actio, uesperi.

Eidem 16: 12.

EGo uerò cupio te ad me uenire, sed uiam timeo. grauissimè ægrotasti: inedia, & purgationib9, & ui ipsius morbi cõsumptus es. Graues solẽt offensiones esse ex grauib9 morbis, si qua culpa cõmissa est. Iam ad id biduũ, quod fueris in uia, dũ in Cumanũ ueneris, accedẽt cõtinuò ad reditũ dies quinq;. Ego in Formiano ad tertiũ Calẽd. esse uolo: ibi te ut firmam offendã, mi Tiro, effice. Literulæ meæ, siue nostrę, tui desyderio oblanguerunt. Hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paululum sustu-

lerunt.Pompeius erat apud me, cũ hæc ſcribebam:hilarè & libenter ei cupienti audire noſtra, dixi, ſine te omnia mea muta eſſe. tu Muſis noſtris para,ut operas reddas:noſtra ad diem dictam fient. docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet. Fac planè ut ualeas, nos ad ſummũ. Vale,Calend.Ianuarij.

Curioni 2. 3.

EPiſtolarum genera multa eſſe, non ignoras: ſed unum illud certiſsimum, cuius cauſa inuẽta res ipſa eſt,ut certiores facerem⁹ abſẽtes, ſi quid eſſet,quod eos ſcire,aut noſtra,aut ipſorum intereſſet. Huius generis literas à me profectò non expectas: domeſticarũ enim rerum tuarũ habes & ſcriptores,& nuncios.In meis autem rebus nihil eſt ſanè noui.Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo,quæ me magnopere delectant:unũ familiarè & iocoſum, alterum ſeuerum & graue. utro me minus deceat uti, nõ intelligo. Iocer'ne tecũ per literas?ciuem mehercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſsit: an grauius aliquid ſcribã? quid

quid est quod possit grauiter à Cicerone scribi ad Curionem, nisi de republica.atq; in hoc genere hęc mea causa est, ut neq; ea quę nuuc sentio, uelim scribere. Quamobrem quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo, teq; ad studiũ summæ laudis cohortabor. Est enim tibi grauis aduersaria constituta, & parata incredibilis quædã expectatio: quam tu una re facillimè uinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamâris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in ijs esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem: & hoc quicquid attigi, non feci inflãmandi tui causa, sed testificandi amoris mei. Vale.

Bruto 13. 15.

LVcio Tityone Strabone, equite Romano in primis honesto & ornato, familiarissimè utor. Omnia mihi cũ eo intercedunt iura summæ necessitudinis. Huic in tua prouincia pecuniã debet P. Cornelius. ea res à Volcatio, qui Romę

ius

ius dicit, reiecta in Galliam est. Peto à te hoc diligentius quàm si mea res esset, quo est honestius de amicorum pecunia laborare, quàm de sua: ut negocium conficiendum cures, ipse suscipias, transigas: operamque des, quoad tibi æquũ & rectum uidebitur, ut quàm commodissima conditione libertus Strabonis qui eius rei causa missus est, negotiun conficiat, ad numosque perueniat. Id & mihi gratissimum erit, & tu ipse L. Tityonem cognosces amicitia tua dignissimum. Quod ut tibi curæ sit, ut omnia solent esse, quæ me uelle scis, te uehemẽter etiam atque etiam rogo. Vale.

T. *Fabio.* 5.18.

ETsi egomet, qui te consolari cupio, consolãdus ipse sum, propterea quod nullam rem grauius iam diu tuli, quàm incommodum tuum: tamen te magnopere, non hortor solum, sed etiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas, uirumque præbeas. & qua conditione omnes homines, & quibus temporibus nati sumus, cogites: plus tibi

541

uirtus tua dedit, quàm fortuna abstulit: propterea quòd adeptus es, quod non multi homines noui: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique uidetur conditio impendere legum, iudiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo uideatur esse, qui quàm leuissima pœna ab hac republ. discesserit. Tu uerò, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos, cæterosque & beneuolentia tecum coniunctissimos: quique magnam facultatem sis habiturus nobiscum, & cum omnibus tuis uiuendi: & cum unũ sit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, idque una sententia, eaque dubia potentia alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis, debes istam molestiam quàm leuissimè ferre. Meus animus erit in te, liberosque tuos, semper, quem tu esse uis, & qui esse debet. Vale.

Trebatio 6. 11.

DOlobellam anteà tantummodo diligebam, obligatus ei nihil erã: nec enim acciderat mihi opus esse. & ille mihi

mihi debebat, quòd non defueram eius periculis. Nũc tãto sum deuinctus eius beneficio, quod & antea in re, & hoc tẽpore in salute tua cumulatissimè mihi satisfecit, ut nemini plus debeam. Qua in re gratulor tibi ita uehemẽter, ut te quoque mihi gratulari, quàm gratias agere malim: alterum non omnino desidero, alterum uerè facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi uirtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit, est tuæ sapientiæ, magnitudinisque animi quid amiseris obliuisci, quid recuperaueris cogitare. Viues cum tuis, uiues nobiscũ. plus acquisiuisti dignitatis, quàm amisisti rei familiaris: quæ tamẽ ipsa esset iucundior, si ulla esset Respub. Nestorius noster familiaris ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. Hæc prędicatio tua mihi ualde grata est: eaq; te uti facilè patior cùm apud alios, tũ mehercule apud Syronem nostrum amicũ. Quæ enim fecimus, ea prudẽtissimo cuique maximè probata esse uolumus. Te cupio uidere quàm primùm. Vale.

Trebatio 7. 14.

CHrysippus Vectius, Cyri architecti libertus, fecit, ut te non immemorē putarē mei. salutē enim mihi tuis uerbis nunciauit. Valde iā lautus es, qui grauere literas ad me dare, homini præsertim propè domestico. Quod si scribere oblitus es, minus multi iā, te aduocato, causa cadent. Sin nostri oblitus es, dabo operā ut isthuc ueniam, antè quàm planè ex animo tuo effluam. Sin æstiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia. Illud quidē perlibēter audiui ex eodē Chrysippo, te esse Cæsaris familiarē. sed mehercule mallem, id quod erat æquius, de tuis reb⁹ ex tuis literis quàm sæpissimè cognoscere. quod certè ita fieret, si tu maluisses beneuolētię, quàm litiū iura perdiscere. Sed hæc iocati sumus & tuo more, & nónihil etiā nostro. Te ualde amam⁹: nosq; à te amari tū uolumus, tū etiā confidimus. Vale.

C. Cassio 12. 8.

SCelus affinis tui Lepidi, summamque leuitatē & inconstantiā ex actis, quæ

ad te

ad te mitti certò scio, cognoscere te arbitror. Itaque nos confecto bello, ut arbitrabamur, renouatum bellũ gerimus, spemque omnem in D. Bruto & Planco habemus. Si uerum quæris, in te & in meo Bruto non solum ad præsens perfugium, si, quod nolim, aduersi quid acciderit, sed etiam ad cõfirmationẽ perpetuæ libertatis. Nos hic de Dolobell audiebamus, quæ uellemus: sed certos authores non habebamus. Te quidem magnum hominem, & præsenti iudicio & reliqui temporis expectatione scito esse. Hoc tibi proposito fac, ut ad summa contendas. Nihil est tantum, quod non populus Romanus à te perfici atq; obtineri posse iudicet. Vale.

M. *Lepido* 10. 27.

QVod mihi pro mea summa erga te beneuolentia magnæ curæ est, ut quàm amplissima dignitate sis, moleste tuli, te senatui gratias non egisse, cũ esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter ciueis conciliandæ te cupidum esse, lætor. Pacẽ eam si à seruitute

uitute seiũgis, consules & reip. & dignitati tuæ. Sin ista pax perditum hominẽ in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est, hoc animo scito omneis sanos, ut mortem seruituti anteponant. Itaq; sapientius, meo quidem iudicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neq; senatui, neq; populo, neq; cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex alijs, aut certior fies literis. Tu pro tua prudẽtia, quid optimum factũ sit, uidebis.

Cn. Planco Imp. Con. Desi. 10.2.

MEum studium honori tuo non defuisset pro necessitudine nostra, si aut tutò in senatum, aut honestè uenire potuissem. Sed nec sine periculo quisquã liberè de repu. sentiens, uersari potest in summa impuritate gladiorum: nec nostræ dignitatis uidetur esse, ibi sententiam de repub. dicere, ubi me & melius & propius audiant armati, quàm senatores. Quapropter in priuatis reb9 nullum neq; officium, neq; studium meum desiderabis: nec in publicis quidem, si


quid erit, in quo interesse necesse sit, unquam decero, ne cũ periculo quidẽ meo, dignitati tuæ. In his autẽ rebus, quæ nihilominus ut ego absim, cõfici possunt, peto à te, ut mei rationẽ habere uelis, & salutis & dignitatis meæ. Vale.

Papyrio Pæto 9.19.

TAmen à malitia nõ discedis, tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse cõtentũ. hoc uideris dicere, cum rege sint tam continentes, multo magis consulareis esse oportere. Nescis me ab illo omnia expiscatum. recta enim à porta domum meã uenisse. Neque hoc admiror, quòd nõ ad tuam potius: sed illud, quòd nec ad suam. Ego autẽ tribus primis uerbis, quid noster Pætus? at ille adiurans, nusquã se unquam libẽtius. Hoc si uerbis assecutus es, aureis ad te afferã non minus elegantes. Sin autẽ obsonio, peto à te ne pluris esse balbos, quàm disertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed si me expediero, ut in ista loca uenire possim, non committã ut te serò à me certiorẽ factum putes. Vale.

C. Trebonius M. T. C. 12. 16.

SI uales, bene est, ego quidẽ ualeo. Athenas ueni ad 11. Calend. Iunij: atque ibi, quod maximè optabam, uidi filium tuum deditũ optimis studijs, summaq; modestiæ fama. Qua ex re quantam uoluptatem cæperim, scire potes etiã me tacẽte. Non enim nescis quanti te faciã, & quàm pro nostro ueterrimo, uerissimoque amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tanto bono gaudeã. Noli putare mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. Nihil adolescẽte tuo, atq; adeò nostro (nihil enim mihi à te potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus ijs qui Athenis sunt, est: aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est optimarũ. Itaq; tibi, quod uerè facere possum, libẽter quoq; gratulor: nec minus etiam nobis, quòd eum quẽ necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoq; diligamus. Qui cum mihi in sermone iniecisset, se uelle Asiã uisere, nõ modò inuitatus, sed etiam rogatus est à me, ut id



potiſſimum nobis obtinentibus prouin ciam faceret. Cui nos & charitate & amore tuum officium præſtaturos, non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus unà cum eo ſit, ne putes in Aſia feriatū illum ab ijs ſtudijs, in quę tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum ut uideo, & ingreſſum pleno gradu, cohortari nō intermittemus, quò indies longius diſcendo, exercendoq; ſe, procedat. Vos quid egeritis in Republica, cum has literas dabam, nō ſciebā. Audiebam turbulenta, quæ ſcilicet cupio eſſe falſa, ut aliquando ocioſa libertate fruamur, q uel minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in nauigatione noſtra puſillum laxamenti, concinnaui tibi munuſculum ex inſtituto meo: & dictū, cum magno noſtro honore à te dictū, cōcluſi, & tibi infrà ſubſcripſi. In quibus uerſiculis ſi tibi quibuſdam uerbis ἀσχημονέστερος uidebor, turpitudo pſonę eius, in quam liberius inuehimur, nos uindicabit. Ignoſces etiam iracundiæ noſtrę,
quæ

quæ iuſta eſt in eiuſmodi & homines & ciues. Deinde quid magis huic Lucilio licuerit aſſumere libertatis, quàm nobis?cum etiamſi odio par fuerit in eos quos læſit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate uerborũ incurreret. Tu ſicut mihi pollicitus es, adiũges me quàm primùm ad tuos ſermones. Namq; illud nõ dubito, quin ſi quid de interitu Cęſaris ſcribas, non patiaris minimam partem & rei & amoris tui ferre. Vale, & matrẽ, meosq; tibi commendatos habe. 8. Calend. Iunias. Athenis.

Cicero Curio S. D. 7. 23.

FAcilè perſpexi ex tuis literis, quod ſemper ſtudui, & me à te plurimi fieri, & te intelligere quàm mihi carus eſſes. Quod quãdo uterq; noſtrûm cõſecutus eſt, reliquũ eſt ut officijs certemus inter nos, quibꝰ ęquo animo uel uincã te, uel uincar abs te. Ad Acciliũ nõ fuiſſe neceſſe meas dari literas, facilè patior. Sulpitij tibi opera, intelligo ex tuis literis, nõ multũ opus fuiſſe, propter res tuas, ita

cōtractas,ut queadmodū scribis,nec caput,nec pedes:equidē uellē uti pedes haberēt,ut aliquando redires. Vides enim exaruisse iam ueterē urbanitatē,ut Pomponius noster suo iure posſit dicere,nisi nos pauci retineamus gloriā antiquā Atticam,ergo is tibi,nos ei ſuccedimus. Veni igitur quæſo,ne tantum semen urbanitatis unà cum repub.intereat.Vale.

Acilio Proc. 13. 33.

IN Halesina ciuitate,tā lauta, quàm nobili, coniunctiſsimos habeo & hoſpitio & familiaritate,M. & Clodiū,Archagathum & Philonē. sed uereor,ne, quia cōplureis tibi præcipuè cōmendo,exæquare uidear ambitione quadā cōmendationes meas: quanquam à te quidem cumulatè satisfit & mihi, & meis omnibus.Sed uelim sic existimes, hanc familiam,& hos maximè eſſe coniunctos uetuſtate,officijs, beneuolētia. Quamobrem peto à te maiorē in modum , ut his omnibus in rebus,quantū tua dignitas, fidesq; patietur,cōmodes. Id si feceris, erit mihi uehemētiſsimè gratum. Vale.

Eidem

Eidem 13.34.

CNeo Octacilio Nasone utor familiarissimè, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius. Nam & humanitate eius, & probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil iam opus est expectare te, quibus eũ uerbis tibi commendem, quo sic utor, ut scripsi. Habet is in prouincia tua negotia, quæ procurant liberti, Hilarius, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiaq; omnia Nasonis, nõ secus cõmendo, acsi mea essent. Gratissimum mihi feceris, si intellexero hanc commẽdationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

Eidem 13.5.

AVitũ mihi hospitiũ est cũ Lysone, Lysonis filio Lilybetano, ualdeq; ab eo obseruor, cognouiq; dignũ & patre & auo. Est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi maiorẽ in modum rem, domũq; eius. Magnoq; opere à te peto cures, ut intelligat meam commendationem maximo sibi apud te & adiumento, & ornamento fuisse. Vale.

Eidem 13. 16.

CAius Auianus Philoxenus antiquus est hoſpes meus, & præter hoſpitiũ, ualde etiam familiaris, quem Cęſar meo beneficio in Nouocomenſeis retulit. Nomen autem Auiani ſecutus eſt, quòd homine nullo plus eſt uſus, quàm Flacco Auiano meo, quemadmodum te ſcire arbitror, familiariſsimo. Quæ ego omnia collegi, ut intelligeres, nõ uulgarem eſſe commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſsis, ei commodes, habeasq́ue in numero tuorum, perficiasq́ue ut intelligat has literas meas magno ſibi uſui fuiſſe. Erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

Planco Imp. Con. Deſi. 10. 13.

VT primùm poteſtas data eſt augendæ dignitatis tuæ, nihil prętermiſi in te ornando, quod poſitum eſſet aut in præmio uirtutis, aut in honore uerborum: id ex ipſo ſenatuſconſulto poteris cognoſcere. Ita enim eſt perſcriptum, ut à me de ſcripto dicta ſentẽtia eſt, quam

ſenatus

ſenatus frequens ſecutus eſt ſummo ſtudio, magnoque conſenſu. Ego, quanquã ex tuis literis, quas mihi miſiſti, perſpexeram te magis iudicio bonorum, quàm inſignibus gloriæ delectari: tamen conſiderandum nobis exiſtimaui, etiamſi tu nihil poſtulares, quantum tibi à Repub. deberetur. Tu contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppreſſerit, is bellum confecerit. Itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, ſed Vlyſſem appellauit πτολίπορθον.

Caßio 12, 6.

QVi ſtatus rerum fuerit tum, cum has literas dedi, ſcire poteris ex C. Tidio Strabone, uiro bono, & optimè de repub. ſentiente. Nam quid dicam cupidiſsimo tui, qui domo & fortunis relictis, ad te potiſsimum profectus ſit? Itaque eum tibi ne commẽdo quidem, aduentus ipſius ad te ſatis eum commendabit. Tu uelim ſic exiſtimes, tibique perſuadeas, omne perfugium bonorum in te & Bruto eſſe poſitum, ſi quod nolim, aduerſi quid euenerit. Res, cum hęc

ſcribebam, erat in extremum deducta diſcrimen. Brutus enim Mutinæ uix iam ſuſtinebat. Qui ſi conſeruatus erit, uicimus: ſin (quod dij omnem auertãt) oppreſſus ibi erit, omnis omnium curſus eſt ad uos. Proinde fac tantum animum habeas, tantumque apparatum, quanto opus eſt ad uniuerſam rempub. recuperandam. Vale.

Cornificio collegæ S. 12. 17.

GRata mihi eſt uehementer memoria noſtri tua, quam ſignificaſti literis: quam ut cõſerues, non quòd de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuoſiora quædam nunciata ſunt, quæ, quia tibi ſunt propiora, quàm nobis, tua me cauſa magis mouẽt, quàm mea. Romæ ſummũ ocium eſt, ſed ita, ut malis ſalubre aliquod & honeſtum negotiũ: quod ſpero fore, quia uideo id curæ eſſe Cæſari. Me ſcito, dũ tu abſis, quaſi occaſionẽ quandam, & licentiam nactum, ſcribere audacius: & cetera quidem fortaſſe, quę etiam tu concederes. Sed proximè ſcri-

psi de optimo genere dicēdi, in quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro, sic scilicet, ut doctum hominem à non indocto, paululum dissidere. Huic tu libro maximè uelim ex animo, si minus gratiæ causa, suffragere. Dicam tuis, ut eum, si uelint, describant, ad teque mittant. Puto enim, etiamsi rem minus probabis, tamē in ista solcitudine quicquid à me profectum sit, iucundum tibi fore. Quod mihi existimationem tuam, dignitatemque commendas, facis tu quidem omnium more. Sed uelim sic existimes, me, cùm amori, quē inter nos mutuū esse intelligā, plurimum tribuam, tum de summo ingenio, & de optimis tuis studijs, & de spe amplissimę dignitatis ita iudicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

Q. Termo Propr. 13.55.

CVm mihi multa grata sūt, quę tu adductus mea commendatione fecisti: tum in primis, quod M. Marcilium, amici atque interpretis mei filium, liberalissimè tractauisti. Venit enim Laodiceam,

ceá,& tibi apud me,mihíque propter te gratias maximas egit. Quare quod reliquum eſt,à te peto,quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes: operamq; des, quoad fides tua patietur, ut ſocrus adoleſcentis rea ne fiat.Ego cùm antea ſtudioſe commendabam Marcilium , tum multo nunc ſtudioſius, quod in longa apparitione ſingularem,& propè incredibilem patris Marcilij fidem, abſtinentiam, modeſtiamq; cognoui. Vale.

Liber

LIBER II.

M. T. Cicero T. P. Attico S.

Ex Epist. ad Attic. lib. 3. 28.



X tuis literis, & ex re ipsa, nos funditùs perisse uideo. Te oro, ut quibus in rebus mei tuis indigebunt, nostris miserijs ne desis. Ego te, ut scribis, citò uidebo. Plura non scribo. cura, ut ualeas.

T. P. Attico 3. 21.

Triginta dies erant ipsi, cum dabam has literas, per quos nullas à uobis acceperam. Mihi autem erat in animo iam, ut antea ad te scripsi, ire in Epeirum, & ibi omnem casum potissimum expectare. Te oro, ut si quid erit, quod perspicias, quácunque in partem, quàm plenissimè ad me scribas: & meo nomine, ut scribis, literas, quibus putabis opus esse, ut des. Vale, quinto Calend. Nouemb.

T. P.

T. P. Attico 3. 23.

EGo quòd, per Thessaliã si irem in Epeirum, perdiu nihil eram auditurus, & quòd mei studiosos habeo Dyrrachinos, ad eos perrexi, cum illa superiora Thessalonicæ scripsissem. inde cum ad te me conuertã, faciã ut scias, tuque ad me uelim omnia quàm diligẽtissimè, cu iusmodi sunt, scribas. Ego iam aut rem, aut ne spem quidẽ expecto. Vale. 6. Calend. Decemb. Dyrrachij.

T. P. Attico 13. 1.

CVm antea maximè nostra interesse arbitrabar te esse nobiscum, tum uerò, ut legi rogationem, intellexi ad iter, quod constitui, nihil mihi optatius cadere posse, quàm ut me quamprimùm consequare, ut cum ex Italia profecti essemus, siue per Epeirum iter esset faciũdum, tuo, tuorumque præsidio uteremur: siue aliud quid agendum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus. Quamobrem te oro, des operam, ut me statim consequare. facilius potes, quoniam de prouincia Macedonia

nia perlata lex est. Pluribus uerbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur. Vale.

T. P. Attico 3. 2.

ITineris nostri causa fuit, quod non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quàm in fundo Siccæ, præsertim nondum rogatione correcta: & simul intelligebam, ex eo loco si iter haberem, posse me Brundusium referre. sine te autē non esse nobis illas parteis tenēdas, propter Antoniū. Nūc ut ad te antea scripsi, si ad nos ueneris, consiliū totius rei capiem⁹: iter esse molestū scio, sed tota calamitas omneis molestias habet. Plura scribere non possum, ita sum animo perculso, & abiecto: cura ut ualeas. Dat. 6. Idus Apr. Naryci Locridis.

T. P. Attico 3. 3.

VTinam illum diem uideam, cum tibi agam gratias, quòd me uiuere coëgisti. Adhuc equidem ualde me pœnitet: sed te oro, ut ad me Vibonem statim uenias, quò ego multis de causis conuerti iter meum. Sed eò si ueneris, de toto itinere,

itinere,ac fuga mea cõſilium capere po tero:ſi id non feceris,mirabor. ſed confido te eſſe omnino facturum. Vale.

T. P. Attico 3. 5.

TErentia tibi & ſępe, & maximas gratias agit:id eſt mihi gratiſsimum. ego enim uiuo miſerrimus,& maximo dolore conficior: ad te quid ſcribam, neſcio. Si enim es Romæ, iam me aſſequi non potes:ſin es in uia, cum eris me aſſecutus,coràm agemus,quæ erunt agenda.tantum te oro,ut quoniam meipſum ſemper amaſti,eodem amore ſis. Ego enim idem ſum.Inimici mei mea mihi,nõ meipſum ademerunt. Cura ut ualeas. 8. Idus April.Thurij.

T. P. Attico 3. 6.

NOn fuerat mihi dubium, quin te Tarẽti,aut Brunduſij uiſurus eſſem.idque ad multa pertinuit meis, & ut in Epeiro cõſiſteremus, & de reliquis rebus tuo conſilio uteremur: quoniam id non contigit,erit hoc quoque in magno numero noſtrorum malorum. Nobis iter eſt in Aſiam,maximè Cyzicũ.Tibi meos com-

commendo: me uix, misereq; sustento. Vale. Dat.14. Cal.Maij.Tarenti.

T. P. Attico 3.26.

POst tuum à me discessum literæ mihi Roma allatæ sunt, ex quibus prospicio nobis in hac calamitate tabescendum esse:neque enim (sed bonâ in partem accipies) si ulla spes saluti nostræ subesset,tu pro tuo amore in me, hoc tẽpore discessisses. Sed ne ingrati, aut ne omnia uelle nobiscum unà interire uideamur, hoc omitto. illud abs te peto, des operam: illud quod mihi affirmâsti, ut te ante Calend.Ianuar.ubicunque erimus,sistas. Vale.

T. P. Attico 3.16.

TOtum iter mihi incertum facit expectatio literarum tuarum. Calend. Sextil.datarũ,non aliud aliquid. Si spes erit,Epeirum: sin minus Cyzicum, aut aliud quid sequemur.Tuæ quidem literæ,quo sæpius à me leguntur,hoc spem faciunt mihi minorem,quàm cum lectæ sunt: tum id quod attulerunt ad spem, infirmant, ut facilè appareat te & conso

lationi seruire, & ueritati. Idque te rogo planè, ùt ad me, quæ scis, ut erũt, quę putabis, ita scribas. Vale. Dat. duodecimo Calend. Septemb.

T. P. Attico 3. 18.

EXpectationem nobis non paruam attuleras, cum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse, causam nostram Pompeium certè suscepturum: & simulac à Cæsare ei literæ, quas expectaret, remissæ essent, authorē etiam daturum. Vtrum id nihil fuit? an aduersatæ sũt Cæsaris literæ? an est aliquid in spe? etiam illud scripseras eundem secundũ comitia dixisse. Fac, si uides quantis in malis iaceā, & si putas esse humanitatis tuæ, me fac de tota causa nostra certiorem. nam Quintus Frater, homo mirus, qui me tā ualde amat, omnia mittit spei plena, metuens credo defectionem animi mei. tuæ autē literæ sunt uariæ: neq; enim me desperare uis, nec temerè sperare. fac, obsecro te, ut omnia, quæ à te prospici possunt, sciamus. Vale.

T. P.

T. P. Attico 3. 11.

ME & tuæ literæ, & quidam boni nun cij, non optimis tamen authoribus, & expectatio uestrarum literarum, &, quod tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicę tenebant. Si accepero literas, quas expecto, si spes erit ea quę rumorib⁹ afferebatur, ad te me conferã: si non erit, faciã te certiorẽ, quid egerim. Tu me, ut facis, operã, cõsilio, gratia iuua. Consolari iã desine, obiurgare uerò noli. quod cum facis, ut ego tuũ amorem & dolorẽ desidero, quem ita affectũ mea ærumna esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit. Quintũ Fratrem optimum humanissimumq́; sustenta. Ad me, obsecro te, ut omnia certa perscribas. Vale. Datum 4. Calend. Quintil.

T. P. Attico. 3. 4.

MIserię nostrę potius uelim, quàm inconstantiæ tribuas, quòd à Vibone, quò te arcessebamus, subitò discessimus. allata est enim nobis rogatio de pernicie mea, in qua quod cõfectum esse audieram⁹, erat huiusmodi, ut mihi

ultra quadraginta milia liceret esse. illò cum peruenire non liceret, statim iter Brundusium uersus contuli ante diem rogationis, ne & Sicca, apud quem erã, periret, & quòd Melitæ esse non licebat. Nunc tu propera, ut nos consequare, si modò recipiemur. adhuc inuitamur benignè, sed quod superest, timemus. Me mi Pomponi, ualde pœnitet uiuere: qua in re apud me tu plurimum ualuisti. Sed hæc coràm: fac modò, ut uenias. Vale.

T. P. Attico 1. 10.

Asiam Quinto suauissimo fratri obtigisse audisti: non enim dubito, quin clarius tibi hęc rumor, quàm ullius nostrûm literę nunciarint. Nunc, quoniam & laudis auidissimi semper fuimus, & præter cęteros φιλέλληνες & sumus, & habemur, & multorum odia atque inimicitias reipublicæ causa suscepimus, παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο. curaque & effice, ut ab omnibus & laudemur, & amemur. His de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo.

Iu

Tu uelim me certiorem facias, quid de meis mandatis egeris: atque etiam, quid de tuo negotio. Nam, ut Brundusio profectus es, nullæ mihi abs te sunt redditę literæ. Vale.

T. P. Attico 2. 10.

NOlo ames cóstantiam meam. ludos Antij spectare non placet. Est enim ὑποσόλοικον, cum uelim uitare omnium deliciarum suspicionem, repentè ἀναφαίνεσθαι non solum delicatè, sed etiam ineptè peregrinantem. Quare usque ad Nonas Maias te in Formiano expectabo. Nunc fac ut sciam, quo die te uisuri simus. Ab Appij foro hora quarta dederam, aliam paulo antè à Tribus tabernis. Vale.

T. P. Attico 2. 11.

NArro tibi planè. relegatus mihi uideor, posteaquam in Formiano sum. Dies enim nullus erat Antij cum essem, quo die non melius scirem Romę quid ageretur, quàm ij qui erant Romę. etenim literę tuę non solum quid Romæ, sed etiam quid in Repub. neque solum

quid fieret, uerùm etiam quid futurum esset, indicabant. Nũc, nisi siquid ex prętereunte uiatore exceptum est, scire nihil possumus. Quarę quanquam iam teipsum expecto, tamen isti puero, quem ad me statim iussi recurrere, da ponderosam aliquã epistolam, plenam omniũ non modò actorum, sed etiam opiniónum tuarũ. ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciã. Nos in Formiano esse uolumus usq; ad pridie Non. Maias. eò si ante eã diẽ non ueneris, Romæ te fortasse uidebo. nam Arpinum quid ego te inuitem? Hæc igitur: cura ut ualeas.

T. P. Attico 3. 13.

QVod ad te scripseram me in Epeiro futurum, posteaquam extenuari spẽ nostram, & euanescere uidi, mutaui consilium: nec me Thessalonica commoui, ubi esse constitueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes. Quod proximis literis scripseras fore, ut secundum comitia aliquid de nobis in senatu ageretur, id tibi Pompeium dixisse. Qua de re, quoniam comitia habita sunt, tuque nil

nil ad me scribis, perinde habebo, acsi scripsisses nil esse, meque temporis non longinqui spe ductum esse molestè feram. Quem autem modum te uidere scripseras, qui nobis utilis fore uideretur, eum nunciant, qui ueniunt, nullum fore. In Tr. Pl. Desi. reliqua spes est, quam si expectaro, non erit quod putes me causæ meæ ac uoluntati meorum defuisse. Quod me sæpe accusas, cur hunc meum casum tam grauiter feram, debes ignoscere: cum ita me afflictum uideas, ut neminem unquã nec uideris, nec audieris. Nam quod scribis te audire, me etiam mentis errore, ex dolore affici, mihi uerò mens integra est. atque utinam tam in periculo fuisset, cũ ego ijs, quibus salutem meam charissimam esse arbitrabar, inimicissimis, crudelissimisque usus sum: qui, ut me paulum inclinari timore uiderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere & perfidia abuterentur ad exitium meum. Nunc quoniam iam est Cyzicum nobis eundum, quo rarius ad me literæ perferen-

tur, hoc uelim diligentius omnia, quę putaris me ſcire opus eſſe, perſcribas. Quintum fratrem meũ fac diligas, quẽ ego miſer, ſi incolumem relinquo, non me totum periſſe arbitrabor. Vale. Nonas Sextil.

T. P. *Attico* 3.14.

EX tuis literis plenus ſum expectatione de Pompeio, quid'nam de nobis uelit, ut oſtendat. Comitia enim credo eſſe habita. quibus abſolutis, ſcribis illi placuiſſe, agi de nobis. Si tibi ſtultus eſſe uideor, qui ſperem, facio tuo iuſſu: & ſcio te, me ijs epiſtolis potius, & meas ſpes, ſolitum eſſe remorari. Nunc uelim mihi planè perſcribas, quid uideas. Scio nos noſtris multis peccatis in hanc ærumnam incidiſſe, ea ſi qui caſus ex parte correxerint, minus moleſtè feremus nos uixiſſe, & adhuc uiuere. Ego propter uiæ celebritatem, & quotidianam expectationem rerum nouarum, non commoui me adhuc Theſſalonica: ſed iam extrudimur, non à Planco (nam is quidem retinet) uerùm ab ipſo loco mi

nimè

nimè apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epeirum igitur, ut scripseram, non iui, quòd subiti mihi aduersi nuncij uenerant, & literæ, quare nihil esset necesse quàm proximè Italiam esse. Hinc si aliquid à comitijs audierimus, nos in Asiam conuertemus. neque adhuc stabat, quò potissimum: sed scies. Vale. 12. Calend. Sextil. Thessalonicæ.

T. P. Attico 4. 13.

Nestorius noster me per literas facit certiorem, te Roma ad 8. Idus Maij putare profectum esse tardius, quàm dixerat, quod minus ualuisses. si iam melius uales, uehementer gaudeo. Velim domum ad tuos scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesses, cùm cæteri, tum Varronis. est enim mihi utendum quibusdam rebus ex ijs libris, ad eos quos in manibus habeo: quos ut spero, tibi ualde probabo. Velim si quid fortè noui habes, maximè à Quinto Fratre, deinde à C. Cæsare, & si quid de comitijs, de repub. fortè (soles enim tu hæc

festinè odorari) cóscribas ad me. Si nihil habebis, tamen scribas aliquid. nunquá enim mihi tua epistola aut intépestiua, aut loquax uisa est. Maximè auté rogo, rebus tuis, totoque itinere ex sententia cófecto, nos quáprimùm reuisas. Dionysiú iube saluere. Cura ut ualeas.

P. Attico 5. 3.

AD quintum Iduum Maij ueni in Trebulanú ad Pontium, ibi mihi tuæ literæ binę redditę sunt tertio abs te die. eodem auté, ex Pompeiano, Philotimo dederá ad te literas: nec uerò núc erat sanè quid scriberé. Qui de repub. rumores, scribe quęso. In oppidis enim summú uideo timorem. sed multa inania. quid de ijs cogites, & quando, scire uelim. Ad quas literas tibi rescribi uelis, nescio: nullas enim adhuc acceperá, pręter quæ mihi binę semel in Trebulano redditę sunt: quarú alterę edictú Publij Licinij habebát, erant auté Nonis Maij datæ: alterę scriptæ ad meas Minturnenses. quàm uereor, ne quid fuerit σπουδαιότερον in ijs, quas non accepi, quibus rescribi

rescribi uis. Lentulum ponam tecum in gratiam. Dionysius nobis cordi est. Nicanor tuus operã mihi dat egregiam. iam deest quid scribam. & licet Beneuẽti cogitabã, hoc de nostra continentia & diligentia esse satis, faciemus satis L. Pontio. ex Trebulano, ad V. Idus Maij.

T. P. Attico. 5. 6.

TArentum ueni ad XV. Calend. Iun. quod Pontinũ statueram expectare. Commodissimum duxi dies eos, quoad ille ueniret, cum Pompeio consumere: eoq́; magis, quòd ei gratum esse id uidebam. quinetiam à me petierat, ut secũ, & apud se essẽ quotidie. quod concessi libenter: multos enim eius preclaros de repub. sermones accipiã, instruar etiam consilijs idoneis ad hoc nostrum negotiũ. Sed ad te breuior iam in scribendo incipio fieri, dubitans Romæ'ne sis, an iam profectus. Quod tamen, quoad ignorabo, scribam aliquid potius, quàm committam ut tibi cum possint reddi à me literæ, non reddantur: nec tamen iã habeo quid aut mandẽ tibi, aut narrem.

Mandaui

Mandaui omnia quidem, quæ tu, ut polliceris, exhauries. narrabo, cum aliquid habebo noui. Illud tamen non desinam, dum adesse putabo, de Cæsaris nomine rogare, ut confectum relinquas. Auidè expecto tuas literas, & maximè, ut norim tempus profectionis tuæ. Vale.

T. P. *Attico* 7. 4.

DIonysium flagrantem desiderio tui misi ad te, nec mehercule æquo animo: sed fuit concedendum. Quem quidem cognoui cùm doctum (quod mihi iam antè erat notum) tum sanctum, plenum officij, studiosum etiã meę laudis, frugi hominem: ac, ne libertinum laudare uidear, planè uirum bonũ. Pompeiũ uidi tertio Idus Decembris, fuimus unà horas duas fortasse. Magna lætitia mihi uisus est affici meo aduentu, de triũpho hortari, suscipere parteis suas: monere, ne antè in Senatum accederẽ, quàm rem cõfecissem, ne dicẽdis sententijs aliquẽ Tribunum alienarem. Quid quæris? in hoc iudicio, & officio sermonis, nihil potuit esse prolixius. De repub. autẽ ita

mecum

mecum locutus eſt, quaſi nõ dubiũ bellũ haberemus, nihil ad ſpem cõcordiæ. planè illum ab ſe alienatum cùm antè intelligeret, tum uerò proximè iudicaſſe. ueniſſe Hircium à Cæſare, qui eſſet illi familiariſsimus: ad ſe non acceſsiſſe, & cum ille ad 7. Idus Decemb. uesperi ueniſſet, Balbus de tota re conſtituiſſet ad 7. Iduum, ad Scipionem ante lucem ueniſſe, multa de nocte profectum eſſe ad Cæſarem. hoc illi τεκμηριῶδες uidebatur eſſe alienationis. Quid multa? nihil me aliud conſolatur, niſi quòd illum, cui etiam inimici alterum conſulatum, fortuna ſummam potentiam dederat, non arbitror fore tam amentem, ut hæc in diſcrimen adducat. quod ſi ruere cœperit, næ ego multa timeo, quæ non audeo ſcribere. Sed ut nunc eſt, ad 3. Non. Ian. ad urbem cogito. Vale.

T. P. Attico 7. 6.

PLanè deeſt quod ad te ſcribam, nota omnia tibi ſunt: nec ipſe habeo à te quid expectem. Tantum igitur noſtrum illud ſolẽne ſeruemus, ut ne quem iſtuc euntem

eunte sine literis dimittam⁹. De repub. ualde timeo, nec adhuc ferè inueni, qui non concedendũ putaret Cæsari, quod postularet, potius quàm depugnandũ. Est illa quidẽ impudens postulatio opinione ualẽtior. Cur autẽ nũc primùm ei resistamus? οὐ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον ἔποιτο κακόν. quàm cum quinquennium prorogabamus: aut cùm ut absentis ratio haberetur, ferebamus. nisi fortè hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Dices, quid tu igitur sensurus es? non idem, quod dicturus. Sentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur. dicã idem quod Põpeius: neq; id faciam humili animo. Sed rursus hoc permagnũ Reipub. malum est, & quodammodo mihi præter cæteros: non rectum, me in tantis rebus à Pompeio dissidere. Vale.

T. P. Attico 7. 9.

SVbitò consilium cæpi, ut antè quàm luceret, exirem, ne qui cõspectus fieret, aut sermo, lictoribus præsertim laureatis. De reliquo, neq; hercule quid agam,

gam, nec acturus quid sim, scio, ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi consilij. Tibi uerò quid suadeam? cuius ipse consilium expecto. Cneus noster, quid consilij cœperit, capiátue, nescio, adhuc in oppidis coarctat⁹. sed stupent omnes. Si in Italia cõsistat, erimus unà: sin cedet, cõsilij res est adhuc incerti. Nisi ego insanio, stultè omnia & incautè agi iudico. Tu quæso ad me crebrò scribe, uel quod in buccá uenerit. Vale.

T. P. Attico 7:17:

NIhil habeo quod ad te scribam: quin etiam eam epistolam quam eram elucubratus, ad te non dedi. erat enim plena spei bonæ, quòd & concionis uoluntatem audieram, & illum conditionibus usurum putabam, præsertim suis. Ecce tibi 4. Nonas Febr. manè, accepi literas tuas, Philotimi, Furnij, Curionis ad Furnium, quibus irrident L. Cæsaris legationẽ. Planè oppressi uidemur, nec quid cõsilij capiam scio, nec mehercule de me laboro. de pueris quid agam, non habeo. Capuá tamen proficiscebar hæc scribens,

ſcribens, quo facilius de Pompeij rebus cognoſcerem. Vale.

T. P. Attico 7. 18.

BReuiloquentem iam me tẽpus ipſum facit. Pacem enim deſperaui: bellum noſtri nullum adminiſtrant. Caue enim putes quicquam eſſe minoris his Coſs. quorum ego ſpe audiendi aliquid, & cognoſcendi noſtri apparatus, maximo imbri Capuam ueni pridiè Non. ut eram iuſſus. illi autem nondum uenerant, ſed erant uenturi, inanes, imparati. Cn. autẽ Luceriæ dicebatur eſſe, & adire cohorteis Legionum uicinarum, non firmiſſimarum. At illum ruere nunciant, & iã iamque adeſſe, non ut manum conſerat (qui cum enim?) ſed ut fugam intercludat. Ego autẽ in Italia καὶ συναποθανεῖν, nec te id conſulo. ſin extrà, quid ago? ad manendum hyems, lictores improuidi, & negligentes duces: ad fugam, hortatur amicitia Cn. cauſa bonorum, turpitudo coniungẽdi cum tyrãno: qui quidem, incertum eſt, Phalarim'ne, an Piſiſtratum ſit imitaturus. Hęc uelim expli-

ces,

ces,& me iuues consilio. Etsi teipsum istic iam carere puto: sed tamen quantũ poteris. Ego si quid hic hodie noui cognôro, scies. iam enim aderunt Coss. ad suas Nonas. Tuas quotidie literas expectabo. Ad has autem, cum poteris rescribas. Mulieres & Cicerones in Formiano reliqui. Vale.

T. P. *Attico* 7. 20.

PEdem in Italia uideo nullum esse, qui non in istius potestate sit. De Pompeio scio nihil: eũq; nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto. O celeritatẽ incredibilem. Huius autem nostri (sed non possum sine dolore accusare eũ, de quo angor & crucior) tu cædem nõ sine causa times, non quo minus quicquã Cæsari expediat ad diuturnitatẽ uictoriæ & dominationis: sed uideo, quorum arbitrio sit acturus. Rectè sic censeo, cedendũ de oppidis ijs. Egeo cõsilij: quod optimum factu uidebitur, facies. Cum Philotimo loquere, atque adeò Terentiam habebis Idibus. Ego quid agam? qua aut terra, aut mari persequar eum,

qui ubi ſit, neſcio? Etſi terra quidẽ, quî poſſum? mari, quò traijciam? Igitur iſtic me fac poſſe tutò: multi enim hortãtur. num etiam honeſtè? Nullo modo quidẽ à te petam conſilium, ut ſoleo. Explicari res non poteſt: ſed tamen ſi quid in mentem uenit, uelim ſcribas, & ipſe quid ſis acturus. Vale.

T. P. *Attico* 7. 22.

PHilotimi literæ me quidem non nimis, ſed eos qui in his locis erant, admodum delectarũt. Ecce poſtridie Caſſij literæ Capua, à Lucretio familiari eius: Nigidium à Domitio Capuam ueniſſe, eum dicere, Vibullium cum paucis militibus è Piceno currere ad Cn. confeſtim inſequi Cæſarem. Domitium nõ habere militum uim. Idem ſcripſit, Coſſ. Capua diſceſsiſſe. Nõ dubito, quin Cn. in fuga ſit: modò effugiat. A` conſilio fugiendi, ut tu cenſes, abſum. Vale.

T. P. *Attico.* 7. 23.

CVm dediſſem ad te literas triſteis, & metuo ne ueras, de Lucretij ad Caſſium literis Capua miſsis, Cephalio uenit

nit ad nōs. attulit etiam à te literas hilariores. nec tamē firmas, ut ſoles. Omnia faciliuscredere poſſum, quàm quod ſcribitis, Pompeium exercitum habere. Nemo huc ita aſſert, omniaque quæ nolim. Rem miſeram. malas cauſas ſemper obtinuit, in optima concidit. Quid dicam, niſi illud? eū neſciſſe. neq; enim erat difficile, hoc neſciſſe. Erat enim ars difficilis, rectè rēp. regere. Sed iā iamq; omnia ſciemus, & ſcribemus ad te ſtatim. Vale.

T. P. *Attico* 8. 7.

VNum etiā reſtat amico noſtro ad omne dedecus, ut Domitio non ſubueniat. At nemo dubitat, qùin ſubſidio uenturus ſit: ego non puto. Deſeret igitur talem ciuē? & eos unà, quos is ſecum habeat? prçſertim ex ipſo cohorteis triginta? Domitius (niſi me omnia fallunt) de ſe incredibiliter pertimuit. nihil ſpectar, niſi fugam: cui tu (uideo enim quid ſentias) me comitem putas debere eſſe. Ego uerò quē fugiam, habeo: quem ſequar, non habeo. Quod enim tu meum cōſilium laudas, & memorandum dicis,

 malle,

malle,quòd dixerim,me cum Pompeio uinci,quàm cum istis uincere:ego uerò malo,sed cũ illo Pompeio,qui tum erat, aut qui mihi esse uidebatur. cũ hoc uerò,qui antè fugit,quàm sciat quẽ fugiat, aut quò,qui nostra tradidit, qui patriá reliquit,Italiam deseruit, si malui,contigit tũc, uictus sum. quid superest? nec ista uidere possum,quæ nunquam timui ne uiderem: nec mehercule istum, propter quem mihi nõ modò meis,sed memetipso carendum est. Ad Philotimum scripsi de uiatico, siue à moneta (nemo enim soluit) siue ab Oppijs,tuis contubernalibus. Cætera apposita tibi mandabo. Vale.

Cn.Pomp.Procons. M.T.Ciceroni *imp.* S. 8.14.

TVas literas libenter legi. Recognoui enim tuam pristinam uirtutem, etiã in salute communi. Coss.ad eũ excercitum, quem in Apulia habui, uenerunt. Magnopere te hortor, pro tuo singulari perpetuoq; studio in rempublicã,ut te ad nos conferas, ut communi consilio reipub.

reipub. afflictæ opem atq; consilium feramus. Censeo uia Appia iter facias, & celeriter Brundusiũ uenias. Cura ut ualeas.

Cn. Pompeius Procos. L. Domitio Procos. S. 8. 18.

Miror te ad me nihil scribere, & potius ab alijs quàm à te de repub. certiorẽ me fieri. Nos disiecta manu pares aduersarijs esse nõ possum9. contractis nostris copijs, spero nos & reipub. & saluti communi prodesse posse. Quamob rem cum cõstituisses, ut Vibullius mihi scripserat ad V. Idus Februar. Corfinio proficisci cũ exercitu, & ad me uenire, miror quid causæ fuerit, quare consiliũ mutaris. Nam illa causa, quã mihi Vibullius scribit, leuis est: te ꝓpterea moratum esse, quòd audieris Cæsarem firmo progressu in castrũ Truentinum uenisse. Quãto enim magis appropinquare aduersarius cœperat, eo tibi celerius agendum erat, ut te mecũ coniungeres, prius quàm Cæsar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset.

Quamobrem etiam te rogo, & hortor, id quod nō destiti superioribus literis à te petere, ut primo quoque die Luceriam aduenires antè, quàm copiæ, quas instituit Cæsar contrahere, in unum locū coactæ, nos à uobis distrahant. Sed, si erūt qui te impediant, ut illas suas seruent, æquū est me à te impetrare, ut cohortes, quæ ex Piceno & Camerino uenerunt, quæ fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias. Vale.

Cn. Pomp. L. Domitio S. 8.20.

Literæ mihi à te redditæ sunt ad 14 Calendarum Mart. in quibus scribis, Cæsarem apud Corfinium castra posuisse: quod putaui, & præmonui. Fit, ut nec in presentia committere tecum prelium uelit, & omnibus copijs cōductis te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit, atq; istas copias coniungere optimorum ciuium posſis cum his legionibus, de quarum uoluntate dubitamus: quo magis etiā tuis literis sum cōmotus. Neq; enim eorum militum, quos mecū habeo, uoluntati satis confido: ut de omnibus

mnibus fortunis reipublicæ dimicem: Neque etiam qui ex delectibus conscripti sunt à Coss. conuenerunt. Quare da operam, si ulla ratione etiam nunc efficere potes, ut te explices, & huc quamprimùm uenias, antè quàm omnes copiæ aduersariorum conueniant. Neque enim celeriter huc homines conuenire possunt: & si conuenirent, quantum ijs committendum sit, quòd inter se ne noti sunt, contra ueteranas legiones, non te præterit. Vale.

T. P. Attico 8. 21

Lippitudinis meæ signum tibi sit librarij manus, & eadem causa breuitatis: & si nūc quidem, quod scriberem, nihil erat. omnis expectatio nostra erat in nūcijs Brundusinis. si nactus hic esset Cn. nostrum, spes dubia pacis: sin ille antè transmisisset, exitiosi belli metus. Sed uides'ne, in quem hominem inciderit respub. quàm acutum? quàm uigilantem? quàm paratum? Si mehercule neminem occiderit, nec cuiquam quicquam ademerit, ab ijs qui eum maximè

timuerant, maximè diligetur, multum mecum municipales homines loquuntur, multũ rusticani. nihil prorsus aliud curãt, nisi agros, nisi uillulas, nisi numulos suos. Et uide quàm conuersa res est. illum, quo antea confidebant, metuunt: hunc amant, quem timebant. id quantis nostris peccatis, uitijsque euenerit, nõ possum sine molestia cogitare. Quæ autem impendêre putarem, scripseram ad te, & iam tuas literas expectabam. Vale.

C. *Cæsar* M. T. *Ciceroni* 9. 5.

CVm Furnium nostrum tantum uidissem, neque loqui, neque audire me commodè potuisset properantem, atq; essem in itinere, præmissis iam legionibus: præterire tamen non potui, quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gratiasque agerem. Etsi hoc officium sępe, & sæpius mihi facturus uideor, ita de me mereris. In primis à te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem uẽturum, ut te ibi uideam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositũ reuertar: festinationi

nationi meæ, breuitatiq; literarum igno
sces: reliqua ex Furnio cognosces. Vale.

C. Cæsar C. Oppio & L. Cornelio
Balbo S. 9. 8.

GAudeo mehercule, uos significare literis, quàm ualde probetis ea quæ apud Corfinium sunt gesta. Consilio uestro utar libenter: & hoc libétius, quod mea sponte facere constitueră, ut quàm lenissimum me præberem, & Pompeiũ darem operam ut recõciliarem. Tentemus hoc modo, si possumus, omnium uoluntates recuperare, & diuturna uictoria uti: quando reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neque uictoriam diutius tenere, præter unum L. Syllam, quem imitaturus non sum. Hæc noua sit ratio uincendi, ut misericordia & liberalitate nos muniamus. Id enim, quemadmodum fieri posit, nonnulla mihi in mentem ueniunt, & multa reperiri possunt. De ijs rebus, rogo uos ut cogitationem suscipiatis. Cn. Magium Pompeij præfectum deprehendi scilicet, & meo instituto usus sum, &

eum ſtatim miſſum feci. Iam duo præfe-ćti fabrûm Pompeij in meam poteſtatẽ uenerũt, & à me miſsi ſunt. Si uolẽt gra ti eſſe, debebunt Pompeiũ hortari, ut ma lit mihi eſſe amicus, quàm ijs qui & illi & mihi ſemper fuerũt inimicißimi: quorum artificijs effećtum eſt, ut reſpub. in hunc ſtatum perueniret. Vale.

M. T. *Cicero C. Cæſari* S. 9.14.

VT legi tuas literas, quas ab Furnio noſtro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem eſſem, te uelle uti conſilio & dignitate mea, minus ſum admiratus. De gratia, & de ope quid ſignificares, mecum ipſe quærebam: ſpe tamẽ deducebar ad eam cogitationẽ, ut te pro tua admirabili ac ſingulari ſapientia, de ocio, de pace, de concordia ciuium agi uelle arbitrarer. & ad eam rationẽ exiſtimabam ſatis aptam eſſe naturam, & perſonam meam. quod ſi ita eſt, & ſi qua de Põpeio noſtro tuẽdo, & tibi ac reip. reconciliando, cura te attingit, magis idoneum, quàm ego ſum, ad eam cauſam profećtò reperies neminem, qui & illi

ſemper,

ſemper, & ſenatui, cum primùm potui, pacis author fui. Nec ſumptis armis belli ullam partem attigi, iudicauiq; te eo bello uiolari, contra cuius honorem populi Rom. beneficio conceſſum, inimici atque inuidi niterentur. Sed ut eo tẽpore non modò ipſe author dignitatis tuæ fui, uerùm etiam cęteris author ad te adiuuandũ, ſic me nunc Pompeij dignitas uehemẽter mouet. Aliquot enim ſunt anni, cum uos duos elegi, quos præcipuè colerem, & quibus eſſem, ſicut ſum, amiciſsimus. Quamobrem à te peto, uel potius precibus omnibus oro & obteſtor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, & tuo beneficio bonus uir, gratus, pius denique eſſe in maximi beneficij memoria poſsim. Quę ſi tantum ad meipſum pertinerent, ſperarẽ me à te tamen impetraturum: ſed ut arbitror, & ad tuam fidem, & ad rempublicam pertinet, me & pacis utriuſq; ueſtrûm, & ad ciuiũ concordiam per te quàm accommodatiſsimum conſeruari. Ego cum

antea tibi de Lentulo gratias egiſſem, cum eius ſaluti, qui mihi fuerat, fuiſſes: tamen eius literis lectis, quas ad me gratiſsimo animo de tua liberalitate, beneficióque miſit, eandem me ſalutem à te accepiſſe putaui, quam ille: in quem ſi me intelligis eſſe gratum, cura obſecro, ut etiam in Pōpeium eſſe poſsim. Vale.

L. Cor. Balb. M. T. Ciceroni
Imp. S. 9. 17.

CAEſar nobis literas perbreues miſit, quarum exemplum ſubſcripſi. breuitate epiſtolę ſcire poteris, eum ualde eſſe diſtentum, qui tanta de re tam breuiter ſcripſerit. Si quid præterea noui fuerit, ſtatim tibi ſcribam. Cæſar Oppio, Cornelioq; S. Ad 7. Iduū Mart. Brunduſium ueni, ad murum caſtra poſui. Pōpeius eſt Brunduſij, miſit ad Cn. Magiū de pace. quæ uiſa ſunt, reſpōdi. Hoc uos ſtatím ſcire uolui. cum in ſpem uenero de compoſitione aliquid me conficere, ſtatim uos certiores faciā. Valete. Quo modo me nunc putas mi Cicero torqueri, poſtquam rurſus in ſpem pacis ueni,

ne

ne qua res compositionem eorum impediat? Namque quod absens facere non possum, opto: quod si unà essem, aliquid fortasse proficere possem. Nunc expectatione crucior. Vale.

T.P. Attico S. 10.2.

EGo cum accepissem tuas literas Nonis Aprilibus, quas Cephalio attulerat, essemque Minturnis postridie mansurus, protinus sustinui me in Arcano fratris, ut dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus, ageréturque nihilominus quæ sine nobis agi possunt. Iam adest, & animus ardet: nec est quicquam, quò, & quà. Sed hæc nostra erit cura, & peritorum. Tu tamen, quod poteris, ut adhuc fecisti, nos consilijs iuuabis. Res sunt inexplicabiles. Fortunæ sunt committenda omnia: sine spe conamur ulla. Melius si quid acciderit, mirabimur. Dionysium nolim ad me profectũ, de quo ad me Tullia mea scripsit. Sed & tempus alienum est: & homini non amico nostra incommoda, tanta præsertim, spectaculo esse nollem, cui te

meo

meo nomine inimicum esse nolo. Vale.

Cæsar Imp. M. T. C. *imp*. S. 10. 8.

ETsi te nihil temerè, nihil impruděter facturum iudicaram, tamē permotus hominum fama, scribendum ad te existimaui, & pro nostra beneuolentia petendum, ne quò progredereris inclinata iam re, qua integra etiam progrediendum tibi non existimasses. Nanque & amicitiæ grauiorem iniuriam feceris, & tibi minus commodè cōsulueris: quod minus placet, si non fortunæ obsecutus fueris, ut debes. Omnia enim secundissima nobis, aduersissima illis accidisse uidentur. nec causam secutus: eadem enim tum fuit, cum ab eorum consilijs abesse iudicasti. sed meum aliquod factum condemnasse, quo mihi grauius abs te nihil accidere potest, quod ne facias, pro iure nostræ amicitiæ à te peto. Postremò quid uiro bono, & quieto, & bono ciui magis conuenit, quàm abesse à ciuilibus controuersijs? Quod nonnulli cum probarent, periculi causa sequi non potuerunt, tu exploratò & ui-

tæ

tæ meæ testimonio, & amicitiæ iudicio, neque tutius, neque honestius reperies quicquam, quàm ab omni contentione abesse. Vale.

T. P. Attico 11.18.

DE illius ab Alexandria discessu nihil adhuc rumoris: contraque opinio, ualde esse impeditum. Itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem: & te rogo, ut me hinc expedias. Quoduis enim supplicium leuius est hac mãsione. Hac de re & ad Antoniũ scripsi, & ad Balbũ, & ad Oppium. siue enim bellũ in Italia futurũ est, siue classibus utetur, hic me esse minimè conuenit: quorum fortasse utrunque erit. Alterum certè intellexi omnino ex Oppij sermone, quẽ tu mihi scripsisti, quę istorum uia esset. sed, ut eã spectas, te rogo. Nihil omnino iam expectato, nisi miserum. Sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. Quare cum Antonio loquare uelim, & cũ istis: & rẽ ut poteris expedias, & mihi quàm primùm de omnibus rebus rescribas. Vale. 12. Calendarum Quintil.

T. P.

T. P. Attico 11, 19.

CVm tuis dare possem literas, nó prętermisi: etsi quid scriberem, non habebam. Tu ad nos & rarius scribis quam solebas, & breuius. Credo quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse. Veruntamen uelim, quid erit, qualecunque erit scribas. Est autem unum quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit, quod nulla equidem habeo in spe: sed quia tu leuiter interdú significas, cogis me sperare, quod optádum uix est. Philotimus dicitur secedere Idibus Sextil. nihil habeo de eo amplius. Tu uelim ad ea mihi rescribas, quę ad te antea scripsi. Mihi tantum temporis satis est, dum in pessimis rebus aliquid caueam, qui nihil unquam caui. Vale. II. Calendarum Sextil.

M. Antonius Cos. M. T. Cicc. S. 14. 9.

OCcupationibus est factum meis, & subita tua profectione, ne tecum corȧm de hac re agerem: quam ob causam uereor, ne absentia mea leuior sit apud te. quod si bonitas tua respóderit iudicio

cio

cio meo, quod semper habui de te, gaudebo. A' Cæsare petij, ut Sestium Clodium restitueret: impetraui. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses: quo magis laboro, ut & tua uoluntate id per me facere liceat. Quod si duriorem te eius miseræ & afflictæ fortunæ præbes, non contendam ego aduersus te: quanquam uideor debere tueri commentarium Cæsaris. Sed mehercule si humaniter, & sapienter, & amabiliter in me cogitare uis, facilem te profectò præbebis, & uoles P. Clodiũ in spe optima puerum repositum existimare, non te insectatum esse, cum potueris amicos paternos. Pátere obsecro te pro repub. uideri gessisse simultatem cum patre eius, non contempseris hanc familiam. Honestius enim & libentius deponimus inimicitias reipub. nomine susceptas, quàm contumaciæ. Me deinde sine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerũ, & tenero animo eius persuadere, nõ esse tradendas posteris inimicitias. quanquam tuam fortunam Ci-

cero ab omni periculo abesse certũ habeo: tamen arbitror malle te quietam senectutem, & honorificam potius agere, quàm solicitam. Postremò, meo iure te hoc beneficium rogo, nihil enim nõ tua causa feci. Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum, ut intelligas quanti apud me authoritas tua sit, atq; eo te placabiliorem præbeas. Vale.

M.T.C. L.Planco Pr. Des. S. 16.14.

IGnosce mihi, quòd cum antea accuratissimè de Butrotijs ad te scripseram, eadem de re sępius scribam. Non mehercule mi Plance facio, quòd parum confidam aut liberalitati tuæ, aut nostræ amicitiæ: sed cum tanta res agatur Attici nostri, nunc uerò etiam existimatio, ut id quod probauit Cos. nobis testibus & obsignatoribus, qui & decretis & responsis Cæsaris interfueramus, uideat ... obtinere potuisse, præsertim cum te ... potestas eius rei tua sit, ut ea quæ Coss. decreuerunt secundum Cæsaris decreta & responsa, non dicam comprobes, sed studiose libenterque comprobes.

Id

Id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse posset. Etsi iam sperabam, cum has literas accepisses, fore, ut ea quæ superioribus literis à te petijssemus, impetrata essent: tamen non faciam finem rogãdi, quoad nobis nunciatum erit, te id fecisse, quod cũ magna spe expectamus. Deinde enim confido fore, ut alio genere literarum utamur, tibiq; pro tuo summo beneficio gratias agamus. quod si acciderit, uelim sic existimes, non tibi tam Atticũ, cui9 permagna res agitur, quàm me, qui non minus laboro quàm ille, obligatum fore. Vale.

Capitoni S. 16. 15.

NOn dubito quin mirere, atque etiã stomachere, quòd tecum de eadem re agam sæpius. Hominis familiarissimi, & mihi omnibus rebus coniunctissimi, permagna res agitur, Attici. Cognoui ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. multum potes nos apud Plancũ iuuare, noui humanitatem tuam: scio quàm sis amicis iucund9. Nemo nos in hac causa plus iuuare potest, quàm tu:

& res ista est firma, ut debet esse, quam Coss. de consilij sententia decreuerunt, cum & lege & S. C. cognoscerent. tamen omnia posita putamus in Plāci tui libertate: quem quidē arbitramur cùm officij tui & reipub. causa decretū Coss. comprobaturum, tum libenter nostra causa esse facturum. Adiuuabis igitur mi Capito: quod ut facias, uehementer etiā atque etiam rogo. Vale.

LIBER III.

Seruius Sulpitius M. T. *Ciceroni* S.
Famil. lib. 4. *Epist.* 5.

Posteaquàm mihi renunciatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, sanè quàm pro eo ac debui grauiter molesteque tuli, communemque eam calamitatem existimaui: qui si isthic affuissem, neque tibi defuissem, coramque tibi meum dolorem declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est, propterea

propterea quia per quos ea fieri debet propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lachrymis multis id conari queunt, ut magis ipsi uideantur aliorum consolatione indigere, quàm alijs posse suum officium præstare: tamen quæ in præsentia mihi in mentem uenerunt, decreui breui ad te scribere, non quòd ea te fugere existimem, sed quòd forsitan dolore impeditus, minus ea perspicias. Quid est, quòd tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minus quàm liberi chara esse debent: patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris æstimare? An illius uicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est ut tu ueneris, & nos sæpe incidimus, hisce temporibus non pessimè

cum ijs esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum uita cõmutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magnopere inuitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? Vt cum aliquo adolescente primario coniuncta, ætatem ageret? Licitũ est tibi (credo) pro tua dignitate, ex hac iuuentute generum deligere, cuius fidei liberos tuos, te tutò cõmittere putares. an ut ea liberos ex sese páreret, quos cũ florenteis uideret, lætaretur? qui rem à parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim in repub. petituri essent? in amicorum negotijs liberalitate sua uterentur? Quid horũ fuit, quod nõ prius, quàm datũ est, ademptum sit? At uerò malum est, liberos amittere. malũ, nisi hoc peius sit, hæc sufferre, & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi commemorare, si forrè eadem res tibi minuere dolorem posset. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram uersus nauigassem, cœpi regiones circũcirca prospicere. post me

erat Aegina, antè Megara, dextra Piręus, sinistra Corinth⁹: quę oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nũc prostrata & diruta ante oculos iacent. Cæpi egomet mecum sic cogitare: Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interijt, aut occisus est, quorũ uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant. Vis tu te Serui cohibere, & meminisse hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idẽ, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas: modò uno tempore tot uiri clarissimi interierunt, de imperio præterea tanta diminutio facta est, omnes prouinciæ conquassatæ sunt: in unius mulierculæ animula si iactura facta est, tantopere commoueris? quæ si hoc tempore non suum diem obijsset, paucis pôst annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ad cogitationem tuam auoca, atque ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt:

illam, quamdiu & opus fuerat, uixisse, unà cum repub. fuisse: te patrē suum, prætorem, consulem, augurem uidisse: adolescentibus primarijs nuptam fuisse: omnibus bonis propè perfunctā esse: cū Respub. occiderit, uita excessisse. Quid est quod tu, aut illa, cū fortuna hoc nomine queri possitis? Deniq; noli te obliuisci Ciceronē esse, & eum qui alijs con sueueris præcipere, & dare consilium: nec imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiā, ipsi se curare nō possunt: sed potius, quæ alijs tute præcipere soles, ea tibi subijce, atque apud animum tibi propone: NVLLVS dolor est, quem nō longinquitas temporis minuat atq; molliat. Hoc te expectare tēpus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quod si quis etiā inferis sensus est, qui illius amor in te fuit, pietasq; in omneis suos, hoc certè illa te facere nō uult. Da hoc illi mortuę: da cæteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, ut si qua in re

opus

opus sit,opera & consilio tuo uti possit. Deniq; quoniã in eam fortunã deuenimus,ut etiã huic rei nobis seruiendum sit,noli committere, ut quisquam te pu tet non tam filiam,quàm reipub.tempora, & aliorum uictoriã lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne uidear prudentiæ tuæ diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundã pulcherrimè te ferre fortunã, magnãq; ex ea re te laudem adipisci:fac aliquando intelligamus, aduersam quoq; te æquè ferre posse:neq; id maius, quàm debeat,tibi onus uideri, ne ex omnibus uirtutibus hęc una tibi uideatur deesse. Quod ad me attinet, cum te trãquilliorem animo esse cognouero,de ijs rebus quæ hic geruntur, quemadmodumque se prouincia habeat, certiorem faciam. Vale.

M.T.C. Seruio Sulpitio S. 4. 6.

Ego uerò Serui uellé,ut scribis,in meo grauissimo casu affuisses. Quantum enim præsens me adiuuare potueris,

& consolando, & propè æquè dolendo, facile ex eo intelligo, quòd literis tuis lectis, aliquantulū adquieui. Nam & ea scripsisti, quæ leuare luctum possent, & in me consolando non mediocrem ipse animi dolorē adhibuisti. Seruius tamen tuus omnibus officijs, quæ illi tempori tribui potuerunt, declarauit, & quanti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratū putaret fore: cuius officia iucundiora scilicet sæpe mihi fueruut, nunquam tamē gratiora. Me autem non oratio tua solum, & societas penè ægritudinis, sed etiam authoritas consolatur. turpe enim esse existimo, me nō ita ferre casum meum, ut tu tali sapientia præditus ferendum putas. Sed opprimor interdū, & uix resisto dolori, quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerūt. Nam & Q. Maximus, qui filium consularem, clarum uirum, & magnis rebus gestis, amisit: & L. Paulus, qui duos septem diebus: & noster Gallus, & M.

Cato,

Cato, qui summo ingenio, summa uirtute filium perdidit, ijs temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur. mihi autem amissis ornamētis ijs quæ ipse commemoras, quæq; eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotijs, non reipub. procuratione impediebantur cogitationes meæ, nihil in foro agere licebat, aspicere curiam non poteram: existimabam id quod erat, omneis me & industriæ meæ fructus, & fortunæ perdidisse. Sed cum cogitarē, hęc mihi tecum, & cum quibusdam esse communia, & cum frangerem iam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter, habebam quò confugerem, ubi conquiescerem, cuius in sermone & suauitate, omneis curas doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam graui uulnere, etiam illa quæ consenuisse uidebantur, recrudescunt. Non enim, ut

tum

tum me à republica mœſtum domus excipiebat, quæ leuaret: ſic nūc domo mœrens ad rempub. confugere poſſum, ut in eius bonis acquieſcam. itaque & domo abſum, & foro, quòd nec eum dolorem, quē à republica capio, domus iam conſolari poteſt, nec domeſticum reſp. Quo magis te expecto, teque uidere quamprimùm cupio: maior mihi ratio afforenulla poteſt, quàm coniunctio cō ſuetudinis, ſermonumque noſtrorum. quāquam ſperabam tuum aduentū (ſic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cùm multis de cauſis te exopto, quamprimùm uidere, tum etiam, ut antè commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum ſit hoc tēpus, quod eſt totum ad unius uoluntatem accommodandum, & prudentis & liberalis, & (ut perſpexiſſe uideor) nec à me alieni, & tibi amiciſsimi. Quod cum ita ſit, magnæ tamen eſt deliberationis, quæ ratio ſit ineunda nobis, non agendi aliquid, ſed illius conceſſu & beneficio quieſcendi. Vale.

M. C. L. Luceio Q. F. 5. 12.

COram me tecum eadem hæc agere ſæpe conātem, deterruit pudor quidam penè ſubruſticus, quæ nunc expromam abſens audacius. epiſtola enim nō erubeſcit. Ardeo cupiditate incredibili, neque (ut ego arbitror) reprehendē da, nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur, & celebretur tuis. Quod etſi mihi ſępe oſtendis te eſſe facturum, tamē ignoſcas uelim huic feſtinationi meę. Genus enim ſcriptorum tuorum etſi erat ſemper à me uehementer expectatum, tamē uicit opinionem meam, meq́ue ita uel cæpit, uel incendit, ut cuperem quàm celerrimè res noſtras monimentis commendari tuis. Non enim me ſolum commemoratio poſteritatis ad ſpem quandam immortalitatis rapit, ſed etiam illa cupiditas, ut uel authoritate teſtimonij tui, uel iudicio beneuolentiæ, uel ſuauitate ingenij, uiui perfruamur. Neque tamen hæc cum ſcribebam, eram neſcius, quantis oneribus premerere ſuſceptarū rerū, & iam inſtitutarū: ſed quia uidebam,

bam, Italici belli, & ciuilis historiam iam penè à te esse perfectam (dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri) deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniunctène malles cum cæteris rebus nostra contexere, an, ut multi Græci fecerunt, Callisthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinũ, qui omnes à perpetuis suis historijs ea quæ dixi bella separauerunt, tu quoque ita ciuilem coniurationem ab hostibus externisq; bellis seiungeres. Equidẽ ad nostram laudem non multum uideo interesse: sed ad properationẽ meá quiddam interest, nó te expectare, donec ad locũ uenias, ac statim causam illá totam & tempus arripere. Et simul si uno in argumẽto, unaq; in persona, mẽs tua tota uersabitur, cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint. Neque tamen ignoro, quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam (potest enim denegare occupatio tua) deinde etiá, ut ornes me postulem, quid si illa tibi non tantopere ui-

re uidentur ornanda? SED tamen qui semel uerecundiæ fineis transierit, eum bene & nauiter oportet esse impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut ornes ea uehemẽtius, quàm forțasse sentis, & in eo leges historiæ negligas: gratiamq; illam, de qua suauissimè quondam in procemio scripsisti, à qua te affici non magis potuisse demonstras, quàm Herculem Xenophontium illum à Voluptate, ea si me tibi uehementius commendabit, ne aspernere, amorique nostro plusculum etiam, quàm cõcedit ueritas, largiare. Quod si te adducemus ut hoc suscipias, erit (ut mihi psuadeo) materies digna facultate, & copia tua. à principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum, uidetur mihi modicũ quoddam corpus confici posse, in quo & illa poteris uti ciuilium commutationum scientia, uel in explicandis causis rerum nostrarum, uel in remedijs incommodorum, cum & reprehendes ea quæ uituperanda duces: & quæ placebũt, exponẽdis rationibus cõprobabis:

& si

& ſi liberius, ut cõſueuiſti, agẽdum putabis, multorum in nos perfidiam, inſidias, proditionem notabis. Multam etiã caſus noſtri tibì ueritatem in ſcribendo ſuppeditabunt, plenam cuiuſdam uoluptatis, quæ uehementer animos hominum in legendo ſcripto retinere poſsit. NIHIL eſt enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum uarietas, fortunæque uicißitudines: quæ etſi nobis optabilesin experiendo non fuerũt, in legẽdo tamen erũt iucũdæ. HABET enim præteriti doloris ſecura recordatio delectationem. Cæteris uerò nulla perfunctis propria moleſtia, caſus alienos ſine ullo dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia eſt iucunda. Quem enim noſtrûm ille moriens apud Mantineam Epaminundas, non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi auelli iubet ſpiculum, poſteaquam ei percontanti dictum eſt, clypeum eſſe ſaluum: ut etiam in uulneris dolore æquo animo cũ laude moreretur. Cuius ſtudium in legendo non erectum Themiſtoclis

mistoclis fuga, redituq; retinetur? Etenim ordo ipse Annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At uiri sæpe excellentis ancipites uarijq; casus habent admirationem, expectationem, lętitiam, molestiam, spem, timorem: si uerò exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissimę lectionis uoluptate. Quod mihi accide rit optatius, si in hac sententia fueris, ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiá cō plecteris, secernas hác quasi fabulam re rum, euentorumq; nostrorum. Habet enim uarios actus, multasq; actiones & consiliorum, & temporū: ac non uereor ne assentatiuncula quadá aucupari tuá gratiam uidear, cum hoc demonstrem, me à te potissimū ornari, celebrarique uelle. Neque enim tu is es, qui quis sis nescias: & qui nō eos magis qui te non admirentur, inuidos, quàm eos qui lau dent, assentatores arbitrere. neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ gloriæ per eum commendari ue-

lim,qui non ipſe quoque in me commẽdando propriam ingenij gloriam conſequatur. Neque enim Alexander ille gratiæ cauſa ab Apelle potiſsimum pingi, & à Lyſippo fingi uolebat: ſed quòd illorum artem cùm ipſis, tum etiam ſibi gloriæ fore putabat. atque illi artifices corporis ſimulachra ignotis nota faciebant, quæ uel ſi nulla ſint, nihilo ſunt tamen obſcuriores clari uiri. Nec minus enim eſt Spartiates ille Ageſilaus perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quàm qui in eo genere laborarunt. unus enim Xenophontis libellus, in eo rege laudando facile omnes imagines hominum, ſtatuasque ſuperauit. Atque hoc præſtantius mihi fuerit, & ad lætitiam animi, & memoriæ dignitatem, ſi in tua ſcripta peruenero, quàm ſi in cæterorum, quod non ingenium mihi ſolum ſuppeditatum fuerit tuum, ſicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themiſtocli, ſed etiã authoritas clariſsimi & ſpectatiſsimi in republica, maximis grauiſsimisq;

caufis

causis cogniti, atque in primis probati uiri, ut mihi non solum præconiũ, quod cum in Sigæum uenisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam graue testimonium impertitum clari hominis, magniq́ue uideatur. Placet enim Hector ille mihi Neuian⁹, qui non tantum laudari se lætatur: sed addit etiam, à laudato uiro. Quod si à te non impetro, hoc est, si qua te res impedierit (neque enim fas esse arbitror, quicquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamẽ exemplo, & clarorum uirorum. Sed quod te nõ fugit, hæc sunt in hoc genere uitia: & ut uerecundius ipsi de se scribãt, necesse est, si quid est laudandum: & prætereant, si quid reprehendendum est. accedit etiam, ut minor sit fides, minor authoritas: multi deniq; reprehendant, & dicant, uerecundiores esse præcones ludorum gymnicorũ, qui cum cæteris coronas imposuerunt uictoribus, eorumq́ue nomina ma-

gna uoce pronunciauerunt,cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibeant,ne sua esse uoce ipsi se uictores prędicēt. Hęc nos uitare cupimus:& si recipis causam nostram,uitabimus,idq; ut facias rogamus. Ac ne fortè mirere, cur, cum mihi sępe ostenderis,te accuratissimè nostrorum temporum consilia atq; euentus literis mandaturū, à te id nunc tantopere, & tā multis uerbis petamus:illa nos cupiditas incēdit, de qua initiò scripsi, festinationis, quòd alacres animo sumus,ut & cæteri uiuentibus nobis ex libris tuis nos cognoscant, & nosmetipsi uiui gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi nō est molestum,rescribas mihi uelim.si enim suscipias caussam, conficiam commentarios rerum omnium : sin autem differs me in tempus aliud, coràm tecum loquar: tu intérea non celabis, & ea quæ habes instituta, perpolies, nosque diliges. Vale.

T.P.

T. P. Attico. ad At. 8. 3.

MAximis & miserrimis rebus pertur batus sum. Coràm tecum mihi potestas deliberandi nõ est, sed uti tamen tuo consilio uolui. Deliberatio autẽ omnis hæc est. Si Põpeius Italia excedat, quod eũ facturũ esse suspicor, quid mihi agendũ putes: & quo facilius cõsilium dare possis, quid in utranq; partem mihi in mentem ueniat, explicabo breui. Cùm merita Pompeij summa erga salutem meã, familiaritasq; quæ mihi cum eo est, tum ipsa reipub. causa me adducit, ut mihi uel consilium meum cum illius consilio, uel fortuna coniungenda esse uideatur. Accedit illud, si maneo, & illum comitatum optimorum & clarissimorum ciuium desero, cadendum est in unius potestatem: qui, & si multis rebus significat se nobis esse amicum, & ut esset, à me est (tutè scis) propter suspicionem huius impendentis tempestatis multo antè prouisum: tamen utrunq; cõsiderandum est, & quãta ei fides sit habenda, & si maximè exploratum sit eum

nobis amicũ fore, sit'ne uiri fortis & boni ciuis, esse in ea urbe, in qua cum summis honoribus imperijsq; usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo præditus, non futurus sit sui iuris, subeundumq; periculũ sit cum aliquo fortè dedecore, si quãdo Põpeius rẽpubli. recuperauerit. In hac parte hęc sũt. Vide nunc, quæ sunt in altera. Nihil est actum à Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter. adde etiam, nihil nisi contra consilium, authoritatemq; meam. Omitto illa uetera, quod istum in rempub. ille aluit, auxit, armauit: ille legibus C. Metelli contra auspicia ferendis author: ille Gallię ulterioris adiunctor: ille gener: ille in adoptando P. Clodiõ augur: ille restituendi mei, quàm retinẽdi studiosior: ille prouincię ꝓpagator: ille absentis in omnibus adiutor. Idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor reipub. cœpit, cõtendit, ut decem Tr. pl. ferrent, ut absentis ratio haberetur. quod idẽ ipse sanxit, lege quadam sua, Marcoque Marcello Cos. finienti

nieti prouincias Gallias Calēdis Martij restitit. Sed ut hæc omittã, quid fœdius, quid perturbatius, hoc ab urbe discessu? siue potius turpissima fuga? Quę conditio non accipienda fuit potius, quàm relinquenda patria? Malæ conditiones erant, fateor: sed nũquid hoc peius? At recuperabit rempub. Quando? aut quid ad eam spem est parati? non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis & publica & priuata aduersario tradita? Deniq; nulla causa, nullę uires, nulla sedes, quò concurrant, qui rẽpub. defensã uelint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiæ, & ab impetu huius belli remotissima. fuga, & maritima opportunitas, uisa quæri desperatione. Inuitè cæpi Capuam, nõ quo munus illud defugerem, sed sine causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus priuatorum dolor: bonorum autẽ erat aliquis, sed hebes, ut solet, & ut ipse sensissem, multitudo, & infimus quisque propensus in alterã partem. Multi mutationis rerum cupi-

di. Dixi ipsi, me nihil suscepturum sine præsidio, & sine pecunia. Itaque habuit nihil omnino negotij, quod ab initio ui di, nihil quæri præter fugam: eam si nũc sequor, quo nam? cum illo nõ, ad quem cum essem profectus, cognoui in his lo cis esse Cæsarem, ut tutò Luceriam uenire non possem. Infero mari nobis incerto cursu, hyeme maxima nauigandũ est. Age iam, cum fratre, an sine? cũ filio? an quomodo? In utraq; enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes, fortunasq; nostras? acrior, quàm in cæterorum, quòd putabit fortasse in nobis uiolandis aliquid se habere popu lare. Age iam has compedes, fasces inquam hos laureatos, hæc ferre ex Italia, quàm molestum est? Qui autem locus erit nobis tutus, ut iam placatis utamur fluctibus antè, quàm ad illum uenerimus? Quà autem, aut quò, nihil scimus. At si restitero, & fuerit nobis in hac par te locus, idẽ fecero, quod in Cinnæ dominatione, & Marij tyrãnide Philippus,
quod

quod L. Flaccus, quod Q. Mutius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit: qui tamen ita dicere solebat, se id ferè uidere, quod factum est: sed hoc malle, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere. Aliter Thrasybulus, & fortasse melius: sed est certa quædam illa Mutij ratio, atque sententia. est etiam illa Philippi. Et cum sit necesse seruire tempori, & non amittere tempus, cum sit datum: sed in hoc ipso habent tamen ijdem fasces molestiam. Sit enim nobis amicus, quod incertũ est, sed sit, deferet triumphum: non accipere ne periculosum sit? an accipere, inuidiosum ad bonos? O rẽ iniquis difficilem, & inexplicabilẽ. Atqui explicanda est. Quì enim fieri potest? Ac ne me existimetis ad manendũ esse propensiorem, quòd plura in ea parte uerba fecerim, potest fieri, quod fit in multis quæstionibus, ut res uerbosior hæc fuerit, illa uerior. Quam ob rem ut maxima de re æquo animo deliberanti, ita mihi des consilium uelim. Nauis & in Caieta est parata nobis, & Brundusij.

Sed ecce nuncij, ſcribente me hæc ipſa noctu in Calleno: ecce literæ: Cæſarem ad Corfinium, Domitium Corfinij cum firmo exercitu, & pugnare cupientem. non puto etiam hoc Cn. noſtrum commiſſurum, ut Domitium relinquat. Et ſi Brunduſium Scipionem cum cohortibus duabus præmiſerat, legioné Fauſto conſcriptam in Siciliam ſibi placere, ac Coſs. duci, ſcripſerat ad Coſs. ſed turpe Domitium erit deſerere, implorantem eius auxilium: & quædam ſpes mihi quidem non magna, ſed in his locis firma. Afranium in Pyreneo cum Trebonio pugnaſſe, pulſum Trebonium, etiam Fabium tuum tranſiſſe cum cohortibus. ſumma autem, Afranium cum magnis copijs aduentare. Id ſi eſt, in Italia fortaſſe manebitur. Ego autem, cú eſſet incertum iter Cæſaris, quod uel ad Capuã, uel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeiũ miſi cũ literis, ipſe ne quò inciderem, reuerti Formias. Hæc te ſcire uolui, ſcripſique ſedatiore animo, quàm proximè ſcripſeram, nul
lum

lum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum. Vale.

Dolobellæ Cos. S. ad At. 14, 13.

ETsi contentus eram, mi Dolobella, tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam, uoluptatemque capiebam, tamẽ non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd uulgo hominum opinio socium me ascribat tuis laudibus. Neminem conueni, conuenio autẽ quotidie plurimos. sunt enim permulti optimi uiri, qui ualetudinis causa in hęc loca ueniant: prętereà ex municipijs frequentes necessarij mei, qui omnes, cũ te summis laudibus ad cœlum extulerunt, mihi cõtinuò maximas gratias agũt. Negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis & consilijs obtemperans, præstãtissimum te ciuem, & singularem Cos. præbeas. Quibus ego, quanquã uerissimè possim respõdere, te, quæ facias, tuo iudicio & tua spõte facere, nec cuiusquã egere cõsilio: tamẽ neq; planè assentior, ne imminuam tuam laudem, si omneis à meis

à meis consilijs profecta uideatur, neq; ualde nego. Sũ enim auidior etiã, quàm satis est, gloriæ. & tamen non alienum est à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regi regum fuit honestum: aliquẽ in consilijs capiendis Nestorem habere. mihi uerò gloriosum, te iuuenem Cos. florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cęsar, cum ad eũ ægrotum Neapolim uenissem, quanquã erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antè, quàm me planè salutauerat, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum uales apud Dolobellã, quantum si ego apud sororis filium ualerem, iam salui esse possemus. Dolobellæ uerò tuo & gratulor, & gratias age, quem quidem post te consulem, solum possum uerè consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta, tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquam, nihil reipub. salutarius testatus est: atque hęc una uox omnium est. A' te autem peto, ut me hãc, quasi falsam hæreditatem alienæ gloriæ, sinas cernere,

meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum uenire patiare. Quanquam mi Dolobella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modò sint aliquæ meæ laudes, ad te transtulerim, quàm aliquam partē exhauserim ex tuis. nam cùm te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti: tū ijs tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore mihi fuerit ardentius. Nihil est enim (mihi crede) uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, ut scis, M. Brutum, propter eius summum ingeniū, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam: tamen Idibus Martij tantum accesit ad amorem, ut mirarer, locum fuisse augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum etiam uidebatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tātum accesit, ut mihi nunc denique amare uidear, antè dilexisse. Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati & gloriæ seruias? Pro-

ponam

dos, sed etiam ornandos illos uiros, à quibus initiũ libertatis profectum est. Sed his de rebus coràm plura propediẽ, ut spero, tu quoniã rempub. nosque cõseruas, fac ut diligentissimè teipsum mi Dolobella custodias. Vale.

M. T. C. *Bruto* S. B.3.

Nostræ res meliori loco uidebantur. Scripta enim ad te certò scio, quæ gesta sunt: qualeis tibi sæpe scripsi Consules, tales extiterunt. Cæsaris uerò pueri mirifica indoles uirtutis: utinàm tã facilè eum florentẽ & honoribus & gratia regere ac tenere possimus, quàm facilè adhuc tenuimus. Est omnino illud difficilius, sed tamen nõ diffidimus. Persuasum est enim adolescenti, & maximè per me, eius opera nos esse saluos: & certè nisi is Antonium ab urbe auertisset, perijssent omnia. Triduò uerò aut quatriduò ante hãc rẽ pulcherrimã, timore quodã perculsa ciuitas tota, ad te secum cõiugibus & liberis effundebat. eadẽ re creata ad 12. Calen. Maij, te huc uenire, quàm se ad te ire malebat: quo quidẽ die

magnorum

fratrum unam & eandē eſſe cauſam. Cō-
ſules duos, bonos quidem, ſed duntaxat
bonos amiſimus: Hircius quidē in ipſa
uictoria óccidit, cum paucis diebus ma
gno prælio antè uiciſſet. nam Panſa fu-
gerat, uulneribus acceptis, quæ ferre nō
potuit. Reliquias hoſtium Brutus per-
ſequitur, & Cæſar. Hoſtes autem omnes
iudicati, qui M. Antonij ſectam ſecuti
ſunt. Itaque id ſenatuſconſultum, pleri-
que interpretantur etiam ad tuos, ſiue
captiuos, ſiue dedititios ꝑtinere. Equi-
dem nihil diſſerui durius, cum nomina-
tim de C. Antonio decernerem: quòd
ita ſtatueram, à te cognoſcere cauſam
eius ſenatum oportere. X. Calenda-
rum Maij.

M. *Brutus* M. T. *Cic. S.* B. 4.

QVanta ſim lætitia affectus, cognitis
rebus Bruti noſtri, & conſulum, fa-
cilius eſt tibi exiſtimare, quàm mihi ſcri
bere. Cùm alia laudo, & gaudeo accidiſ
ſe, tum quòd Bruti eruptio non ſolum
ipſi ſalutaris fuit, ſed etiam maximo ad
uictoriā adiumēto. Quod ſcribis trium

Antoniorum unam atque eandem causam esse, quid ego sentiam, mei iudicij esse statuo nihil, nisi hoc Senatus, aut populi Romani iudicium esse de his ciuibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum, inquies, iniquè facis, qui hostilis animi in rempublicam homines ciueis appelles. imò iustißimè. Quod enim nondum Senatus censuit, nec populus Romanus iussit, id arroganter nō præiudico, neque reuoco ad arbitrium meum. Illud quidem nō muto, quod ei, qué me occidere res non coëgit, neque crudeliter quicquam eripui, neque dissolutè quicquam remisi, habuiq; in me potestate, quoad bellū fuit. multo quidem honestius iudico, magísque quod cōcedere poßit respub. miserorum fortunam non insectari, quàm infinita tribuere potentibus, quæ cupiditatem & arrogantiam incendere poßint. Qua in re Cicero, uir optime, ac fortißime, mihique merito & meo nomine & reipub. charißime, nimis credere uideris spei tuæ: statimque, ut quisq; aliquid rectè fecerit,

fecerit, omnia dare ac permittere, quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animũ. Quæ tua est humanitas, æquo animo te moneri patieris, præsertim de communi salute: facies tamen quod tibi uisum fuerit, etiam ego, cum me docueris. Nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gauisi simus: neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius. Nihil neque opinantibus, aut patientibus nobis, aduersi euenire potest, in quo nõ cùm omnium culpa, tum præcipuè tuã futura sit. cuius tantam authoritatẽ Senatus ac populus Romanus non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maximè in libera ciuitate unius esse potest: quam tu non solum bene sentiẽdo, sed etiam prudenter, tueri debes. Prudentia porrò quę tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic abundè adsunt, ut cũ quolibet antiquorũ cõparari possint tuę uirtutes. Vnũ hoc grato animo,

liberaliq; profectum, cautiorē ac moderatiorem liberalitatem desiderat. Nihil enim Senatus cuiquā dare debet, quod malè cogitantibus exemplo, aut præsidio sit. Itaq; timeo de consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, quàm inde, si consul factus sit, descensurum. Quod si Antonius ab alio relictum regni instrumentum, occasionem regnandi habuit, quónā animo fore putas, si quis authore non tyranno interfecto, sed ipso Senatu, putat se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tum & facilitatem & prouidentiam laudabo tuā, cum exploratum habere cœpero, Cęsarem honoribus, quos acceperit, extraordinarijs, fore contentum. Alienæ igitur, inquies, culpæ me reum facies? Prorsus alienę, si prouideri potuit, nē existeret, quod utinā inspectare posfis timorē de illo meum. His literis scriptis, te consulem factū audiuimus. Tú uerò incipiam proponere mihi rem iustam, etiam suis nitentē uiribus, si istuc uidero. Filius ualet, & in Macedoniam cum

cū equitatu præmissus est. Idibus Maijs, ex castris.

M.T.C. Q. Tironi S. F.16.9

NOs à te, ut scis, discessimus ad quartum nonas Nouemb. Leucadem uenimus ad octauum Idus Nouemb. ad septimum, Actium. ibi propter tempestatem ad sextū Idus morati sumus. Inde ad quintū Idus Corcyrā bellissimè nauigauimus. Corcyræ fuimus usq; ad decimumsextum Calend. Decemb. tēpestatibus retēti, ad xij. Calend. Decemb. in portum Corcyræorum, ad Cassodē stadia cxx. processimus. Ibi retenti uentis fuimus usq; ad nonū Calend. Interea qui cupidè profecti sunt, multi naufragia fecerūt. nos eo die cœnati soluimus. In austro lenissimo, cœlo sereno, nocte illa: & die postero in Italiā ad Hydruntē ludibundi peruenimus, eodēq; uento postridie, id erat ad septimū Calēd. Decem. hora quarta Brūdusium uenimus: eodemq; tempore simul nobiscū in oppidum introijt Terentia, quæ te fecit plurimi. Ad quintum Calend. De-

cébris seruus Cn.Planci Brundusij tandem aliquando mihi à te expectatissimas literas reddidit, datas Idibus Nouemb.quæ me molestia ualde leuarunt, utinam omnino liberassent. Sed tamen Asclapo medicus planè confirmat,propediem te ualentem fore. Nunc quidé ego te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad conualescendũ.Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me noui.Scio te omnia facturum, ut nobiscum quamprimùm sis. Sed tamen ita uelim,ut ne quid properes.Symphoniã Lysonis uelim uitasses, ne in quartam hebdomadã incideres.Sed quando pudori tuo maluisti obsequi, quàm ualetudini, reliqua cura.Curio misi, ut meco honos haberetur:& tibi daret,quod opus esset,me,cui iussisset, curaturum. Equum & mulum Brundusij tibi reliqui,Romæ uereor ne ex Calend. Ianuarij magni tumultus sint.Nos agemus omnia modicè. Reliquum est, ut te hoc rogem, & à te petam, ne temerè nauiges. Solent nautæ festinare quæstus sui causa.

causa. Cautus sis mi Tyro. Mare magnū & difficile tibi restat. Si poteris cum Mescinio, cautè is solet nauigare: si minus, cum honesto aliquo homine, cuius authoritate nauicularius moueatur. In hoc omnem diligentiam si adhibueris, teque nobis incolumem præstiteris, omnia à te habebo. Etiam atque etiam noster Tiro uale. Medico, Curio, Lysoni, de te scripsi diligentissimè. Vale,

Salue.

C. PLINII SECVNDI SELECTAE aliquot Epistolæ.

C. *Plinius* Fabio *Iusto*. 1.



OLim nullas mihi epiſtolas mittis. Nihil eſt, inquis, quod ſcribam. At hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas. uel ſolum illud, unde incipere priores ſolebant: Si uales, bene eſt, ego ualeo. Hoc mihi ſufficit, eſtque mihi maximum. Ludere me putas? Seriò peto. Fac ſciam quid agas: quod ſine ſolicitudine ſumma neſcire non poſſum. Vale.

Paterno ſuo. 2.

VT animi tui iudicio, ſic oculorũ plurimum tribuo: non quia multum, ne tibi placeas, ſed quia tantum quantum ego ſapis. quanquam hoc quoque multum eſt. Omiſsis iocis, credo decenteis eſſe ſeruos, qui ſunt empti mihi ex conſilio tuo. Supereſt ut frugi ſint: quod

de

de uenalibus melius auribus, quàm oculis iudicatur. Vale.

Bebio Hispano. 3.

TRanquillus cótubernalis meus uult emere agellum, quem uenditare amicus tuus dicitur. Rogo cures, quanti æquum est, emat. Ita enim delectabit emisse. Ná mala emptio semper ingrata est, eo magis, quòd exprobrare stultitiá domino uidetur. In hoc autem agello, si modò arriserit precium, Tráquilli mei stomachũ multa sollicitant: uicinitas urbis, opportunitas uię, mediocritas uillę, modus ruris, qui auocet magis quàm distringat. Schalasticis porrò dominis, ut hic est, sufficit abundè tantum soli: ut reuare caput, reficere oculos, reptare per limitem, una semita terras omneisque uiticulas suas nosse, & numerare arbusculas posſint. Hæc tibi exposui, quo magis scires, quantum ille esset mihi, quãtum ego tibi debiturus, si prædiolum istud, quod commendatur his dotibus, tam salubriter emerit, ut pœnitentię locum non relinquat. Vale.

Paulino suo. 4.

IRascor, nec liquet mihi an debeã, sed irascor. Scis quàm sit amor iniquus interdũ, impotens sæpe, μικραίτιος semper. Hæc tamen causa magna est, an iusta ne scio: sed ego, tanquam non minus iusta quàm magna sit, grauiter irascor, quòd à te tandiu literæ nullæ. Exorare me potes uno modo, si nũc saltem plurimas & longissimas miseris. Hæc mihi sola excusatio uera, cæterę falsæ uidebuntur. Nõ sum auditurus, Nõ eram Romæ, uel occupatior eram. Istud enim nec dij sinãt, ut infirmior. Ipse ad uillam partim studijs, partim desidia fruor: quorum utrũque ex ocio nascitur. Vale.

Valeriano suo. 5.

QVomodo te ueteres Marsi tui? quomodo emptio noua? Placent agri, postquã tui facti sunt? Rarum id quidẽ: nihil mihi æquè gratũ est adeptis, quàm cõcupiscentibus. Me prædia paterna parum cõmodè tractant: delectant tamen, ut materna. Alioqui longa patientia occallui. Habent hunc finem assiduę querelæ,

relæ, quòd queri pudet. Vale.

Seruiano ſuo. 6.

REcte'ne omnia, quòd iãpridẽ epiſtolę tuę ceſſant? an nõ omnia rectè, ſed occupatus es tu? An tu non occupatus, ſed occaſio ſcribẽdi uel rara, uel nulla? Exime hunc mihi ſcrupulũ, cui par eſſe nõ poſſũ. Exime autẽ uel data opera tabellario miſſo: ego uiaticũ, ego etiã pręmiũ dabo, nũciet modò quod opto. Ipſe ualeo, ſi ualere eſt ſuſpenſum & anxium uiuere, expectãtem in horas, timentéq; pro capite amiciſsimo, quicquid accidere homini poteſt. Vale.

Soßio ſuo. 7.

CAluiſium nepotem ualidiſsimè diligo, uirum induſtrium, rectum, diſertum: quod apud me uel potentiſsimum eſt. Idem C. Caluiſium contubernalem meũ, amicum tuum, arcta propinquitate complectitur: eſt enim filius ſororis. Hunc ergo rogo, ſemeſtri tribunatu ſplẽdidiorem & ſibi & auunculo ſuo facies. Obligabis me, obligabis Caluiſiũ noſtrum, obligabis ipſum non minus

idoneũ debitorẽ, quàm nos putas. Multa beneficia in multos contulisti: ausim contendere, nullũ te melius, æquè bene uix unum aut alterum collocasse. Vale.

Nasoni suo. 8.

THusci grandine excussi, in regione Transpadana summa abũdantia, sed par uilitas nunciatur. Solũ mihi Laurentinum meum in redditu: nihil quidẽ ibi possideo, præter tectum & hortum, siccasque arenas: solum tamen mihi in reditu, ibi enim plurimum scribo: nec agrum, quem non habeo, sed ipsum me studijs excolo. Ac iam possum tibi, ut alijs in locis horreum plenum, sic ibi scrinium ostendere. Igitur tu quoque, si certa & fructuosa prædia concupiscis, aliquid in hoc littore para. Vale.

Valerio Paulino. 9.

GAude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine. Adhuc honor studijs durat. Proximè cũ dicturus apud Cẽtumuiros essem, adeundi mihi locus nisi à tribunali, nisi per ipsos iudices non fuit: tanta stipatione cętera tenebantur.

Ad

Ad hoc quidam ornatus adolescés,scissis tunicis,ut in frequentia solet,sola uelatus toga,perstitit,& quidem horis septem. Nam tandiu dixi, magno cum labore,sed maiorecum fructu.Studeamus ergo, nec desidiæ nostræ prætendamus alienã.Sunt qui audiant, sunt qui legãt, nos modò dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. Vale.

Nonio Maximo. 10.

QVid senserim de singulis libris tuis, notum tibi, ut quemque perlegerã, feci.Accipe nunc,quid de uniuersis generaliter iudicem. Est opus pulchrum, ualidum,acre,sublime,uarium,elegans, purum, figuratum, spaciosum etiam, & cum magna tua laude diffusum: in quo tu ingenij simul, dolorisque uelis latissimè uectus es, & horũ utrunq; inuicẽ adiumẽto fuit.Nã dolori sublimitatẽ & magnificentiã ingeniũ, ingenio uim & amaritudinem dolor addidit. Vale.

Nepoti suo. 11.

PEtis ut libellos meos,quos studiosissimè comparasti, recognoscendos,

emendandosque curem. Faciam. Quid enim suscipere libentius debeo, te presertim exigente? Nam cum uir grauissimus, doctissimus, disertissimus, super hæc occupatissimus, maximæ prouinciæ præfuturus, tanti putes scripta nostra circumferre tecum: quãtopere mihi prouidendum est, ne te hæc pars sarcinarum, tanquam superuacua offendat? Adnitar ergo primùm, ut comites istos quàm commodissimos habeas: deinde, ut reuersus inuenias, quos istis addere uelis. Neque enim mediocriter me ad noua opera tu lector hortaris. Vale.

Romano suo. 12.

EIa tu, cum proximè res agentur, quo quo modo ad iudicãdum ueni. Nihil est quod in dextram aurem fiducia mei dormias: non impunè cessatur. Ecce Licinius Nepos prætor, acer & fortis uir, mulctam dixit etiam senatori. Egit ille in senatu causam suam. egit autem sic, ut deprecaretur. remissa est mulcta. sed timuit, sed rogauit, sed opus uenia fuit. Dices, Non omnes prętores tam seueri.

Falleris:

Falleris:nam uel instituere, uel reducere eiusmodi exemplum, non nisi seueri: institutum,reductúmue exercere,etiam leuissimi possunt. Vale.

Flacco suo. 13.

ACcepi plurimos turdos,cum quibus parem calculum ponere nec urbis copijs ex Laurentino, nec maris tam turbidis tempestatibus possum. Recipies ergo epistolas sterileis, & simpliciter ingratas,ac ne illam quidem solertiá Diomedis in permutando munere imitantes.Sed,quæ facilitas tua, hoc magis dabis ueniam, quòd se non mereri fatentur. Vale.

Antonino suo. 14.

CVm uersus tuos æmulor, tum maximè quàm sint boni experior. Vt enim pictores pulchram absolutamque faciem raró nisi in peius effingunt: ita ego ab hoc archetypo labor ac decido. Quo magis hortor, ut quamplurima uerteras, quæ imitari omnes concupiscát,nemo aut paucissimi possint. Vale.

Mario

Mario suo. 15.

BEne est mihi, quia tibi bene est. Habes uxorem tecum, habes filiũ: frueris mari, fontibus, amnibus, agro, uilla amœnissima. Neque enim dubito esse amœnissimam, in qua se composuerat homo fœlicior, antequã fœlicissimus fieret. Ego in Thuscis & uenor, & studeo: quæ interdum alternis, interdum simul facio: nec tamen adhuc possũm pronunciare, utrũ sit difficilius, capere aliquid, an scribere. Vale.

Varo suo. 16.

GRatias ago, quòd agellum, quem nutrici meæ donaueram, colendum suscepisti. Erat cum donarem, centum milium numũm: postea decrescente reddi tu, etiam precium minuit, quod nunc te curante reparabit. Tu modò memineris, commendari tibi à me non arbores, & terram, quanquam hæc quoque: sed munusculum meum, quod esse quàm fructuosissimum, non illius magis interest quæ accepit, quàm mea qui dedi. Vale.

Cal-

Calphurniæ suæ. 17

SCribis te absentia mea nõ mediocriter adfici, nunquam habere solatium, quòd pro me libellos meos teneas, ipsosq; in uestigio meo colloces. Gratũ, quod his fomentis meis acquiescis. Inuicem ego epistolas tuas lectito, atque identidem in manus quasi nouas sumo: sed ego magis ad desideriũ tui accẽdor. Nã cuius literę tantũ habent suauitatis, huius sermonibus quantũ dulcedinis inest? Tu tamẽ frequẽtissimè scribe: licet hoc ita me delectet, ut torqueat. Vale.

Tacito suo. 18

COmmendas mihi Iulium Nasonem. Nasonem mihi? quid si meipsum? Fero tamen, & ignoso. Eundem enim commendassem tibi, si te Romæ morante, ipse abfuissem. Habet hoc solicitudo, quòd omnia necessaria putat. Tu tamẽ, censeo, alios roges: ego precum tuarũ minister, adiutor ero. Vale.

Maurico suo. 19

SOlicitas me, in Formianum ueniã, ea

conditione, ne quid contra commodum tuum facias: qua pactione inuicem mihi caueo. Neque enim mare & littus, sed ocium & libertatem sequor: alioqui satius est in urbe remanere. Oportet enim omnia aut ad alienum arbitrium, aut ad suum facere. Mei certè stomachi hæc natura est, ut nihil, nisi totum & merum, uelit. Vale.

Calphurniæ suæ. 20.

INcredibile est, quanto desiderio tui teneat. In causa, amor primùm: deinde, quòd non consueuimus abesse. Inde est, quòd magnam partem noctium in imagine tua uigilem exigo: inde, quòd interdiu, quibus horis te uisere solebam, ad diætam tuam ipsi me, ut uerissimè dicitur, pedes ducunt: quòd denique æger mento, & similis excluso, à uacuo limine recedo. Vnum tempus his tormentis caret, quo in foro & amicorum litibus conteror. Aestima tu, quæ uita mea sit, cui requies in labore, in miseria curisque solatium est. Vale.

Pri-

591

Prisco suo. 21.

EXprimere non possum, quam iucundum sit mihi, quòd Saturninus noster summas tibi apud me gratias alijs super alias epistolis agit. Perge ut cœpisti, uirumque optimum quàm familiarissimè dilige, magnam uoluptatem ex amicitia eius percepturus, nec ad breue tempus. Nam cùm omnibus uirtutibus abundat, tum hac præcipuè, quòd habet maximam in amore constantiam. Vale.

Feroci suo. 22.

EAdem epistola & studere, & non studere significat. Aenigmata loquor: ita planè, donec distinctius, quod sentio, enunciem. Negat enim te studere: sed est tam polita, quæ nisi à studente non potest scribi. Aut es tu super omneis beatus, si talia per desidiam & ocium perficis.

Simplicio suo. 23

Is quosdam apud te reprehendisse, tanquam amicos meos ex omni oc-

casione ultra modum laudem. Agnosco crimen, amplector etiã. Quid enim honestius culpa benignitatis? Qui sunt tamẽ isti, qui amicos meos melius norint? Sed ut norint, quis inuidet mihi felicissimum errorẽ? Vt enim non sint quales à me prædicantur: ego tamen beatus, quòd mihi uidentur. Igitur ad alios hãc sinistram diligentiã conferant. Nec sũt parum multi, qui carpere amicos suos iudicium uocant: mihi nunquam persuadebunt, ut meos amari à me nimius unquam putém. Vale.

Montano suo. 24

RIdebis, deinde indignaberis, si legeris, quod nisi legeris, non potes credere. Est uia Tiburtina intra primum lapidem (proximè adnotaui) monimentũ Pallantis, ita inscriptũ: Huic senatus ob fidẽ, pietatẽq; erga patronos, ornamẽta ꝑtoria decreuit, & sestertiũ cẽties quinquagies, cuius honore contentus fuit. Equidem nunquã sum miratus, q pius à fortuna, quàm à iudicio ꝓficiretur. Maximè tamen hic me titulus a

mon

monuit, quàm essent minima & inepta, quę interdũ in cœnũ, in has sordeis abijcerentur. Quid deniq; ille furcifer & recipere ausus est, & recusare? atq; etiã, ut moderationis exemplũ posteris proderet? Sed quid indignor? Ridere satius est, ne se magnum aliquod adeptos putent, qui huc felicitate perueniunt, ut rideantur. Vale.

Fabato prosocero S. 25

DElector, iucundum tibi fuisse Tyronis mei aduentum. Quod uerò scribis, oblata occasione Proconsulis plurimos manumissos, unicè lætor. Cupio enim patriã nostram omnibus quidẽ rebus augeri, maximè tamen ciuiũ numero: id enim oppidis firmissimũ ornamẽtũ. Illud etiã me, nõ ut ambitiosũ, sed tũ iuuat, quod ais, esse te meq; & gratiarũ actione & laude celebratos. Est enim, ut Xenophon ait, ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος, utiq; si te mereri putes. Vale.

Geminio suo. 26

GRaue uulnus Macrinus noster accepit: amisit uxorem singularis e-

xempli, etiamsi olim fuisset. Vixit cum hac triginta nouem annis, sine iurgio, sine offensa. Quam illa reuerentiam marito suo præstitit, quum ipsa summam mereretur? quot, quantasque uirtutes ex diuersis ætatibus sumptas collegit, & miscuit? Habet quidem Macrinus grande solatium, quòd tantum bonum tamdiu tenuit. Sed hoc magis exacerbatur, quòd amisit. Nam fruendis uoluptatibus, crescit carendi dolor. Ero ergo suspensus pro homine amicissimo, dum admittere auocamenta, & cicatricem pati possit: quam nihil æquè ac necessitas ipsa, & dies longa, & satietas doloris inducit. Vale.

Tacito suo. 27

NEq; ut magistro magister, neq; ut discipulo discipulus (sic enim scribis) sed ut discipulo magister, (nã tu magister, ego cõtrà: atq; adeò tu in scholam reuocas, ego adhuc Saturnalia extẽdo) librum misisti. Nõ potui longius h[illegible] baton facere: atque hoc ipso probare eum esse, qui non modò magister tuus,

ſed ne diſcipulus quidem debeam dici. Sumam perſonam magiſtri, exeramque in librum tuum ius quod dediſti, eo liberius, quo nihil ex meis interim miſſurus ſum tibi, in quo te ulciſcaris. Vale.

Vrſo ſuo. 28

OLim non librum in manus, non ſtylum ſumpſi. Olim neſcio quid ſit ocium, quid quies: quid denique illud, iners quidẽ, iucundũ tamẽ, nil agere, nihil eſſe: adeò multa me negotia amicorũ nec ſedere, nec ſtudere patiũtur. Nullà enim ſtudia tanti ſunt, ut amicitiæ officiũ deſerat: quod religioſiſsimè cuſtodiẽdũ, ſtudia ipſa præcipiunt. Vale.

Geniali ſuo. 29

PRobo, quòd libellos meos cum patre legiſti. Pertinet ad profectum tuum, à diſertiſsimo uiro diſcere, quid laudandum, quid reprehendendũ: ſimul ita inſtitui, ut uerum dicere adſueſcas. Vides quẽ ſequi, cuius debeas implere ueſtigia. O te beatum, cui cõtigit unũ, atq; idẽ optimũ, & cõiunctiſsimũ exem

plar:qui deniq; eum potissimum imitãdum habes,cui natura esse te similimũ uoluit. Vale.

Iuniori suo. 30

ONeraui te,tot pariter missis uolumibus:sed oneraui primùm, quia exegeras:deinde,quia scripseras,tam graci leis istic uindemias esse, ut planè scirẽ tibi uacaturũ (quod uulgo dicit̃) librũ legere.Eadem ex meis agellis nunciantur.Igitur mihi quòque licebit scribere quæ legas, sit modò unde chartæ emi possint. quæ si scabræ, bibulæ'ue sint, aut non scribendũ:aut necessariò,quicquid scripserimus boni mali'ue,delebimus. Vale.

Maximo suo. 31

ET gaudium mihi, & solatium in literis:nihilq; tam lætum, quod his lætius:nihil tam triste, quod non per has minus triste.Itaq; & infirmitate uxoris, & meorum periculo, quorundam uerò etiam morte turbatus, ad unicum [illegible] ris leuamentum studia confugio: quæ præstant, ut aduersa magis intelligam.

sed

ſed patientius feram. Eſt autem mihi moris, quod ſum daturus in manus hominum, antè amicorum iudicio examinare, inprimis tuo. Proinde, ſi quando, nunc intende libro, quem cum hac epiſtola accipies: quia uereor ne ipſi, ut triſtis, parū intenderim. Imperare enim dolori, ut ſcriberem, potui: ut uacuo animo, lætoq;, non potui. Porrò ut ex ſtudijs gaudium, ſic ſtudia hilaritate proueniunt. Vale.

Paulino ſuo. 32

ALius aliud: ego beatiſsimū exiſtimo, qui bonæ manſuræq; famæ præſumptione perfruitur, certusq; poſteritatis cum futura gloria uiuit. Ac mihi nil niſi præmium æternitatis ante oculos, pingue illud, altumq; otiū placeat. Etenim omneis homines arbitror oportere aut immortalitatem ſuam, aut mortalitatē cogitare: & illos quidem cōtendere, & non remitti: tum hos quieſcere, nec breuem uitam caducis laboribus fatigare: ut uideo multos miſera ſimul & ingrata imagine induſtriæ ad uilitatem ſui per-

uenire. Hæc ego tecũ, quæ quotidie mecũ: ut desinã mecũ, si dissenties tu. quan quã non dissenties, ut qui semper clarũ aliquid & immortale mediteris. Vale.

Macrino suo. 33

VErerer ne immodicam orationẽ putares, quã cũ hac epistola accipies, nisi esset generis eius, ut sæpe desinere uideretur. Nam singulis criminibus singulæ uelut causæ continentur. Poteris ergo, undecũq; cœperis, & ubicũq; desieris, quæ deinceps sequentur, & quasi incipiẽtia legere, & quasi cohærẽtia: mẽque in uniuersitate longissimũ, breuissimum in partibus iudicare. Vale.

Tyroni suo. 34

EGregiè facis: (inquiro enim) & perseuera, quòd iustitiam tuã prouincialibus multa humanitate commendas: cuius præcipua pars est, honestissimũ quẽque complecti, atq; ita à minorib. amari, ut simul à principib. diligare. Pleriq; autem, dum uerentur, ut gratię poten[illegible]um nimium impertire uideantur, [illegible]ritatis atq; etiã malignitatis famã consequun

ſequuntur: à quo uitio tu longè receſsiſti, ſcio. Sed temperare mihi non poſsũ, quo minus laudẽ, ſimilis monẽti, quòd eum modum tenes, ut diſcrimina ordinũ, dignitatumq; cuſtodias: quæ ſi confuſa & permiſta ſunt, nihil eſt æqualitate ipſa inæqualius. Vale.

Augurino ſuo. 35

SI laudatus à te, laudare te cœpero, uereor ne nõ tã proferre iudiciũ meũ, quàm referre gratiam uidear. Sed licet uidear, omnia ſcripta tua pulcherrima exiſtimo: maximè tamẽ illa, quæ de nobis. Accidit hoc una eademq; de cauſa. Nam & tu, quæ de amicis optimè ſcribis, ea ego quoq; de me, utputa optima lego. Vale.

Iuniori ſuo. 36

CAſtigabat quidã filiũ ſuum, ꝙ paulo ſumptuoſius equos & canes emeret. Huic ego, iuuene digreſſo: Heus tu, nũquã ne feciſti, ꝙ à patre corripi poſſet? feciſti dico, nõ interdũ facis, quod filius tuus, ſi repẽtè pater ille, tu filius, pari grauitate reprehẽdat? Nõ omnes homines

aliquo

aliquo errore ducuntur? non hic in illo ſibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi, admonitus immodicæ ſeueritatis exẽplo pro amore mutuo ſcripſi: ne quando tu quoq; filium tuũ durius acerbiusq; tractares. Cogita & illum puerũ eſſe, & te fuiſſe: atq; ita, quod es pater, utere, ut memineris hominem te eſſe, & hominis patrem. Vale.

Tacito ſuo. 37

NEc ipſe tibi plaudis: & ego nihil magis ex fide, quàm de te ſcribo. Poſteris an aliqua cura, neſcio. Nos certè meremur, ut ſit aliqua, nõ dico ingenio (id enim ſuperbum) ſed ſtudio, ſed labore, & reuerentia poſterûm. Pergamus modò itinere inſtituto, quod ut paucos in lucẽ famamq; prouexit, ita multos è tenebris & ſilentio protulit. Vale.

Falconi ſuo. 38

REfugerã in Tuſcos, ut omnia ad arbitrium meum facerẽ. at hoc ne in Tuſcis quidem licet: tam multis undiq; ruſticorũ libellis, & tam querulis inquietor, quos aliquãdo magis inuitus quàm

meo

meos lego. nam & meos inuitus. Retracto enim actiunculas quasdã, quod post intercapedinem temporis & frigidum & acerbum est: rationes quasi absente negliguntur. Interdum tamen equũ cõscendo, & patremfamiliæ hactenus ago: quòd aliquam partem prædiorum, sed pro gestatione, percurro. Tu consuetudinem serua, nobisq; sic rusticis urbana acta perscribe. Vale.

Mamiliano suo. 39

SVmmam te uoluptatem percepisse ex isto copiosissimo genere uenãdi, non miror: cum historicorum more scribas, numerum iniri non potuisse. Nobis uenari nec uacat, nec libet. Non uacat, quia uindemiæ in manibus: non libet, quia exiguæ. Deuehemus tamen pro nouo musto, nouos uersiculos tibi: quos iucundissimè exigenti, ut primùm uidebuntur deferuisse, mittemus. Vale.

Sabino suo. 40

QVa intentione, quo studio, qua deniq; memoria legeris libellos meos, epistola tua ostẽdit. Ipse igitur exhibes negotium

negotium tibi, qui elicis & inuitas, ut quãplurima cõmunicare tecum uelim. Faciam, per parteis tamen, & quasi digesta, ne istam ipsam memoriam, cui gratias ago, adsiduitate & copia turbẽ: oneratamq;, & quasi oppressam, cogam pluribus singula, posterioribus priora admittere. Vale.

Venatori suo. 41

TVa uerò epistola tãto mihi iucũdior fuit, quãto lõgior erat, præsertim cũ de libellis meis tota loqueretur: quos tibi uoluptati esse non miror, cum omnia nostra perinde ac nos ames. Ipse, cũ maximè, uindemias graciles quidẽ, uberiores tamen quàm expectaueram, colligo: si colligere est, nonnunquam decerpere uuam, torculum inuisere, gustare de lacu mustum, obrepere urbanis qui nunc rusticis præsunt, meq; notarijs & lectoribus reliquerunt. Vale.

Sabiniano. 42

BEne fecisti, quòd libertũ aliquãdo tibi charũ reducẽtib. epistolis meis in do-

domum,in animũ recepiſti.Iuuabit hoc te.Me certè iuuat:primùm,quòd te tam tractabilé uideo,ut in ira regi poſsis:dẽ inde,quòd tantũ mihi tribuis, ut uel au toritati meę pareas,uel precib. indulgeas.Igitur & laudo, & gratias ago:ſimul in poſterũ moneo,ut te errorib. tuorũ, etſi non fuerit qui deprecetur, placabilem præſtes. Vale.

Paterno ſuo. 43

QVanta poteſtas,quãta dignitas, quã ta maieſtas, quantum deniq; numẽ ſit hiſtoriæ, cùm frequenter aliàs, tum proximè ſenſi.Recitauerat quidam ueriſsimum librum, partemq́; eius in aliũ diem reſeruauerat. Ecce amici cuiuſdã orantes,obſecrãtesq́; ne reliqua recitaret. Tantus audiendi, quæ fecerint, pudor:quibus nullus faciendi,quæ audire erubeſcunt.Et ille quidẽ præſtitit,quod rogabatur. ſinebat fides: liber tamen, ut factum ipſum manet, manebit, legeturq́; ſemper:tanto magis,quòd nõ ſtatim.Incitantur enim homines ad agnoſcenda,quæ differuntur. Vale.

Ruſtico

Rustico suo. 44

VT satius unum aliquid insigniter, quàm plura mediocriter: ita satius, facere plura mediocriter, si non possis unum aliquid insigniter. Quod intuens ego, uarijs me studiorũ generibus, nulli satis confisus, experior. Proinde cum hoc uel illud leges, ita de singulis, ut nõ singulis, iudicabis. An cæteris artibus excusatio in numero: literis durior lex, in quibus difficilior effectus est? Quid autem ego de uenia, quasi ingratus? Nã si ea facilitate proxima acceperis, qua priora, laus potius speranda, quàm uenia obseruanda est: mihi tamen uenia sufficit. Vale.

Titiano suo. 45

QVid agis? an quod ego, ruri ipse? uitã iucundissimam, id est, ociosissimã? Quo fit, ut scribere longiores epistolas nolim, uelim legere: illud tanquam delicatus, hoc tanquã ociosus. Nihil est enim aut pigrius delicatis, aut curiosius ociosis. Vale.

Appio

Appio suo. 46

LIbrum, quẽ misisti, recepi, & gratias ago. Sum tamen hoc tempore occupatissimus. Ideo nondum eum legi, cũ alioqui ualidissimè cupiam. Sed eam reuerentiam cùm literis ipsis, tum scriptis tuis debeo, ut sumere in manus illa, nisi uacuo animo, irreligiosum putem. Diligentiam tuam in retractandis operibus ualde probo. Est tamen aliquis modus: primùm, quòd nimia cura deterit magis, quàm emendat: deinde, quòd nos à recentioribus reuocat, simulq; nec absoluit priora, & incohare posteriora nõ patitur. Vale.

Saturnino suo. 47

EGo uerò Rufum laudo, non quia tu, ut ita facerem, petisti: sed quòd ille dignissimus. Legi enim librum omnib. numeris absolutũ, cui multum apud me gratiæ amor ipsius adiecit. Iudicaui tamen: neq; enim soli iudicant, qui malignè legunt.
Vale.

Traiano Imp. 48

TVa quidem pietas, Imperator sanctissime, optauerat, ut quàm tardissimè succederes patri. Sed dij immortales festinauerũt, uirtutes tuas ad gubernacula reipub. quã susceperas, admouere. Precor ergo, ut tibi, & per te generi humano, prospera omnia, id est, digna seculo tuo contingant. Fortem te, & hilarem, Imperator optime, & priuatim & publicè opto.

Eidem. 49

VIctoriæ tuæ, optime Imperator, maximæ, pulcherrimæ, antiquissimæ, & tuo nomine & reipublicæ gratulor: deosq; immortaleis precor, ut omneis cogitationes tuas tam lætus sequatur euentus, ut uirtutib. tantis gloria Imperij & nouetur, & augeatur.

Eidem. 50

SOlemnia uota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & n scipimus Domine pariter, & soluimus

preca

precati deos, ut uelint ea semper solui, semperq; signari.

Traianus Plinio. 51

ET soluisse uos cum prouincialibus, dijs immortalibus uota, pro mea salute & incolumitate, & nuncupasse, libenter mi Secunde charissime cognoui ex literis tuis.

Plinius Traiano, de Christianis. 52

SOlenne est mihi domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius uel cunctationē meam regere, uel ignorantiā instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nūquam: ideo nescio quid, & quatenus aut puniri soleant, aut quæri. Nec mediocriter hæsitaui, sit'ne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant: detur'ne pœnitentiæ uenia, an ei qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit: nomen ipsum, etiāsi flagitijs careat, an flagitia cohærenti nomini puniātur. Interim in ijs qui ad me tanquā Christiani deferebantur, hūc sum secutus modū. Interrogaui

ipſos,an eſſent Chriſtiani:confitenteis,
iterum ac tertiò interrogaui, ſupplici-
um minatus:perſeueranteis, duci iuſsi.
Neq; enim dubitabam, qualecunq; eſ-
ſet quod faterentur,peruicaciam certè,
& inflexibilem obſtinationem debere
puniri.Fuerũt alij ſimilis amentiæ:quos
quia ciues Romani erant, adnotaui in
urbem remittendos.Mox ipſo tractatu,
ut fieri ſolet,diffundẽte ſe crimine,plu-
res ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt li
bellus ſine autore,multorũ nomina cõ
tinens,qui negant ſe eſſe Chriſtianos,
aut fuiſſe,cum præeunte me,deos appel
larent:& imagini tuæ, quã propter hoc
iuſſeram cum ſimulacris numinum ad-
ferri,thure ac uino ſupplicarent,præte-
rea maledicerent Chriſto (quorum ni
hil cogi poſſe dicuntur,qui ſunt reuera
Chriſtiani) dimittendos putaui. Alij
ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos
dixerunt,& mox negauerunt: fuiſſe qui
dem,ſed deſiſſe,quidam ante trien[illegible]
quidam ante pluieis annos, non ne[illegible]
etiã ante uiginti quoq;. Omnes & ima-
ginem

ginem tuam, deorumq; simulacra uenerati sunt: ii & Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summã uel culpæ suæ, uel erroris: quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmẽq; Christo quasi Deo dicere secũ inuicem, seq; sacramento nõ in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria cõmitterent, ne fidẽ fallerent, ne depositum appellati abnegarent. quibus peractis, morẽ sibi discedendi fuisse, rursusq; coëundi ad capiẽdum cibum, promiscuum tamẽ, & innoxium: quod ipsum facere desisse, post edictũ meum, quo secundũ mandata tua & hetærias esse uetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministrę dicebãtur, quid esset ueri, & per tormẽta quęrere. Sed nihil aliud inueni, quàm superstitionẽ prauã & immodicã: ideoq; dilata cognitione, ad consulendũ te decucurri. Visa est enim mihi res digna cõsultatione, maximè propter periclitantiũ numerũ. Multi enim omnis ętatis, omnis ordinis, utriusq; se

xus etiã, uocantur in periculũ, & uocabũtur. Neq; enim ciuitates tantũ, sed uicos etiã, atq; agros, superstitiõis istius contagio peruagata est, quæ uidei sisti & corrigi posse. Certè satis cõstat, propè iam desolata tẽpla cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa repeti, passimq; uenire uictimas, quarum adhuc rarissimus emptor inueniebat. Ex quo facile est opinari, quę turba hominũ emẽdari possit, si sit pęnitẽtię locus.

Traianus Plinio. 53

ACtũ, quẽ debuisti, mi Secũde, in excutiendis causis eorũ qui Christiani a te delati fuerãt, secutus es. Neq; enim in uniuersum aliquid, quod quasi certã formã habeat, cõstitui potest. Cõquirendi nõ sunt, si deferãtur, & arguãtur: puniẽdi sũt, ita tamẽ, ut qui negauerit se Christianũ esse, idq; reipsa manifestũ fecerit, id est, supplicando dijs nostris, quamuis suspectus in pręteritum fuerit, ueniam ex pœnitentia impetret. Sine autore uerò propositi libelli nullo crimine locum

cum

cum habere debent. nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est.

FINIS.

EPISTOLAE SENECAE ET PAVLI.

DIVI HIERONYMI DE Seneca testimonium.



Lucius Anneus Seneca Cordubensis, Photini Stoici discipulus, patruus Lucani poetæ, continentissimæ uitæ fuit. Quem non ponerem in catalogo sanctorũ, nisi me illæ epistolæ prouocarẽt, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus, cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium, quàm Petrus et Paulus martyrio coronarentur, à Nerone interfectus est.

Seneca Paulo S. 1

Redo tibi, Paule, nunciatum esse, quòd heri cũ Lucilio nostro de Apocryphis & alijs reb. sermonem habuimus. Erãt enim quidã disciplinarũ tuarũ comites nobiscum. Nam in hortos Salustianos secesseramus: quo in loco occasione nostri aliò tendentes, hi, de quibus dixi, uisis nobis adiuncti sunt. Certè tui præsentiam optauimus. Et hoc scias uolo, libello tuo lecto, id est, cum legissemus de plurimis aliquas epistolas, quas ad aliquam ciuitatem, seu caput prouinciæ direxisti, mira exhòrtatione uitam moralem continentes, usq; refecti sumus. Quos sensus nõ puto ex te dictos, sed per te: certè aliquando ex te, & per te. Tanta enim maiestas earum est rerũ, tantaq; generositate clarent, ut uix suffecturas putem ætates hominum, quib. instituí perficiq; posint. Bene te ualere frater, cupio.

Senecæ Paulus S. 2

Literas tuas hilaris heri accepi, ad quas

quàs rescribere statim potui, si præsentiam iuuenis, quem ad te missurus erã, habuissem. Scis enim quãdo, & per quẽ, & quo tempore, & cui quid dari cõmittiq; debeat. Rogo ergo, ne putes te neglectum, dum personæ qualitatem respicio. Sed quod literis meis uos bene acceptos alicubi scribis, fœlicem me arbitror, tanti uiri iudicio. Neq; enim hoc diceres censor, sophista, magister tanti principis, etiam omnium, nisi quia uerè dicis. Opto te diu bene ualere.

Seneca Paulo S. 3

QVædam uolumina ordinaui, & diuisionibus suis statũ eis dedi. Ea quoque legere Cæsari sum destinatus: & si modò sors prosperè annuerit, ut nouas aures afferat, eris forsitan & tu præsens. Sin aliàs, reddam tibi diem, ut inuicem hoc opus inspiciamus: & posim non ei prius redere hanc scripturam, nisi prius tecum conferam: si modò impunè hoc fieri potuisset, ut scires & te non præteriri. Vale, Paule charisime.

Seneca Paulus S. 4

QVotienſcunq; literas tuas audio, præſentiá tuá cogito: nec aliud exiſtimo, quàm omni tempore te nobiſcũ eſſe. Cũ primùm itaq; uenire cœperis, inuicẽ nos de proximo uidebimus. Bene te ualere opto.

Seneca Paulo S. 5

NImiũ tuo angimur ſeceſſu. Quid eſt, uel quæ res te remotũ faciũt? ſi indignatio domini, quod à ritu & ſecta ueteri receſſeris, & aliorſum conuerſus ſis: erit poſtulãdi locus, ut ratione factum, non leuitate, hoc exiſtimetur. Vale.

Senecæ & Lucilio Paulus S. 6

DE his quæ mihi ſcripſiſtis, non licet arũdine & atramẽto eloqui: quarũ altera res notat, & deſignat aliquid, altera euidenter oſtẽdit: præcipuè cum ſciã inter uos eſſe, id eſt apud uos, & in uobis, qui me intelligant. Honor habendus eſt omnibus tanto magis, quanto maiorem indignandi occaſionem captant: quibus ſi patientiam demus, omni modo eos quaqua parte uincemus: ſi modò

modò hi ſunt, qui pœnitentiá ſui gerãt. Bene Valete.

Anneus Seneca Paulo & Theophilo S. 7

PRofiteor bene me acceptum in lecti one literarũ tuarũ, quas Galatis, Corinthijs & Acheis miſiſti. Et ita inuicem uiuamus, ut etiã cũ honore diuino eas exhibeamus. Spiritus enim ſanctus in te excelſior & ſublimior, & ſuper te excel ſos & ſublimiores, ſatisq; uenerabiles ſenſus exprimit. Vellẽ itaq;, cũ res eximi as proferas, ut maieſtati earũ cultus ſer monis non deſit. Et nequid tibi, frater, ſurripiã, aut cõſcientiæ meæ debeã, cõ fiteor Auguſtũ ſenſibus tuis permotũ. cui lecto uirtutis in te exordio, iſta uox fuit: Mirari eũ ſic poſſe loqui, ut qui nõ legitimè imbutus ſit, taliter ſentiat. Cui ego reſpõdi: Solere deos ore innocẽtiũ effari, aut eorũ qui prẹuaricari doctrina quidẽ ſua nõ poſſunt. dato ei exẽplo Vaticani, hominis ruſticuli: cui cũ duo uiri apparuiſsẽt in agro Reatino, qui poſtea Caſtor & Pollux ſunt nominati, ſatis

ſatis inſtructus inde uidebatur. Vale.

Paulus Senecæ S. 8.

LIcet nō ignorem, Cæſarē noſtrū rerū admirandarum, ſi quando ſe reficiat, amatorē eſſe: permittes tamē te nō lędi, ſed admoneri. Puto enim te grauiter fecisse, quod ei in notitiam perferre uoluiſti, quod ritui & diſciplinæ eius ſit contrarium. Cum & ille enim gentium deos colat, quid tibi uiſum ſit, ut hoc eū ſcire uelles, non uideo. niſi quod nimio amore mei facere te hoc exiſtimo. Rogo te, de futuro ne id agas. Cauendum eſt enim, ne dum me diligis, offenſam domini facias. Cuius quidem offenſa, nec oberit, ſi perſeuerauerit: neq; ſi non ſit, proderit. Si eſt regina, nō indignabitur: ſi mulier eſt, offendetur. Bene uale

Seneca Paulo S. 9

SCio te nō tam tui cauſa cōmotum literis, quas ad te de editiōe Epiſtolarum tuarū Cæſari feci, quàm natura rerum, quæ ita mentes hominū ab omnibus artibus & moribus rectis reuocat, ut non hodie admirer. quippe ut is, qui

multis

multis documentis hoc iam notiſsimũ habeam. Igitur nouè agamus. ſi quid facile in præteritum iam factum eſt, ueniã irrogabis. Miſi tibi librum de Verborũ copia. Vale Paule chariſsime.

Paulus Senecæ S. 10

QVoties tibi ſcribo, & nomen meum ſubſcribo, grauem, & ſectæ meæ incongruentem rem facio. Debeo enim, ut ſepę profeſſus ſum, cùm omnibus omnia eſſe, tũ idem obſeruarę in tuã perſonam, quod lex Romana honori ſenatus conceſsit: perlecta epiſtola, ultimũ locum eligere, ne cum aporia & dedecore cupiam efficere, quod mei arbitrij fuerit. Vale deuotiſsime magiſter. Data V. Cal. Iulij, Nerone IIII. & Meſſala Cọnſulibus.

Seneca Paulo S. 11

AVe mi Paule chariſsime. Putas me haud contriſtari, & non luctuoſum eſſe, quòd de innocẽtia ueſtra ſubinde ſumuntur ſupplicia? Dehinc quòd tam duros, tamque obnoxios uos reatu omnis

mnis populus iudicet, putans à uobis effici, quicquid in urbe contrarium fit? Sed feramus æquo animo, & utamur foro, quod sors concessit: donec inuicta felicitas finem malis imponat. Tulit & priscorum ætas Macedonem, Philippi filium: & pòst Darium, Dionysium: nostra quoque Caium Cæsarem: quibus, quicquid libuit, licuit. Incendiū urbs Romana, manifestè sæpe, unde patiatur, cōstat. Sed si effari humilitas humana potuisset, quid causæ sit, & impunè in his tenebris loqui liceret, iàm omnes omnia uiderent. Christiani & Iudæi, quasi machinatores incendij, supplicio affici solent. Grassator iste, quisquis est, cui uoluptas carnificina est, & mendacium uelamentum, tempori suo destinatus est, & optimus quisque unum pro multis donatum est caput: ita & hic deuotus pro omnibus igni cremabitur. Centum triginta duæ domus, insulæ quatuor, sex diebus arsere, septimus pausam dedit. Bene te ualere frater opto. Data V. Cal. April.

Apro-

Apronio & Capitone Coss.

Seneca Paulo S. 12

AVe mi Paule charissime. Nisi mihi, nominique meo uir tantus, & ad id delectus omnibus modis, non dico fueris iunctus, sed necessariò mixtus, actum erit de Seneca tuo. Cum sis igitur uertex, & altissimorum omnium montium cacumen, noli latere: ita sim tibi proximus, ut alter similis tui deputer. Haud itaque te indignum, prima facie Epistolarum nominandum censeas, ne tam tentare me, quàm ludere uidearis: quippe cum scias, ciuem esse te Romanum. Nam qui tuus est apud tuos locus, uelim, ut apud meos sit meus. Vale mi Paule charissime. Data X. Calend. April. Apronio & Capitone Coss.

Seneca Paulo S. 13

AVe mi Paule charissime. Allegoricè & ænigmaticè multa à te usquequaque opera concluduntur. & ideo rerum tanta uis, & numeri tibi tributi, non orna-

ornamēto uerborum, ſed cultu quodā decoranda eſt. Nec uereare, quòd ſæpius te dixiſſe retineo, multos qui talia affectent, ſenſus corrumpere, rerum uirtutes euiſcerare. Cæterùm mihi concedas uelim, latinitati morē gerere, honeſtis uocibus ſpeciem adhibere, ut generoſi muneris conceſsio, dignè à te poſſit expediri. Bene uale. Data 11. Non. Iul. Catone & Sabino Coſſ.

Paulus Senecæ S. 14

PErpendenti tibi ea ſunt reuelata, quæ paucis diuinitas cōceſsit. Certis igitˀ ego in agro iam fertili ſemē fortiſsimū ſero, non quidem materiam quæ corrūpi uidetur, ſed uerbum ſtabile Dei deriuamentum creſcentis, & manentis in ęternū, quod prudentia tua aſſecuta eſt indeficiēs fore debebit, Ethnicorum Iſraelitarumq; obſeruationes cenſere uitandas. Nouum te autorē feceris, Chriſti Ieſu præconijs oſtendendo rhetoricis irreprehenſibilem ſophiam, quam propemodum adeptus regi temporali, eiusq; domeſticis atq; fidis amicis inſinuabis,

nuabis, quibus aſpera & incapabilis erit perſuaſio, cum pleriq; eorum minimè flectantur inſinuationibus tuis, quibus uitale commodũ ſermo Dei inſtillatus, nouum hominem ſine corruptela, perpetuam animam parit ad Deũ iſtinc properantem. Vale Seneca chariſsime nobis. Data Cal. Aug. Catone & Sabino Coſſ.

REVERENDO IN CHRIſtó Patri, D. Ioanni Mauleoni, in epiſcopum cathedralis eccleſiæ Conuenarũ meritiſs. electo, Ioan. Rauiſius Textor S.



Efflagitaſti ſæpenumero, quod tamen iure tuo debuiſſes imperare, uir laudatiſsime, ut ſi quãdo à ſcholaſticis noſtris occupationibus requies eſſet ulla, aut breuis quædã ceſſatio, quotidie paucas horas mihi ſuffurarer, & impertirẽ tibi, quibus unà de literis colloqueremur, mutuoq; illo ſermone, noſtras duorum linguas ad artem dicendi red

deremus expeditiores, & ab illa Vandalica barbarie, quæ sermonis Latini desuetudine paßim grassatur & imperat, longè alienas. Verbis tuis quũ acquieſsem, atque inter fabulandũ orta esset mẽtio de his qui familiares scripserunt Epistolas, rogasti, quis omniũ mihi uideretur optimus. Ego protinus pedariã cum his sententiã tuli, qui M. Ciceronẽ ita demirantur, & suspiciunt, ut ab eius uestigijs deerrare flagitiũ putent. Nam ille est unus, in cuius uerba, uniuersa eruditorum schola iurauit, quemq́ pro eloquentiæ simulachro, ipsaq́ adeò eloquentia reuerentur omnes, qui modò nõ sunt aure surda & īacẽti, ut inquit Gellius. Secũdas demũ Plinio Cæcilio cõtuli. De cæteris quũ, quid sentirẽ, percõtareris, omnino tacui: simul quòd non putarẽ mea interesse, de tot tantisq́ uiris ferre iudiciũ: simul quòd uiderẽ permultos nostri tẽporis bene literatos ea in re ambigere, & suspensum adhuc tenere calculũ. Ne tamen desiderium tuum relinquerem planè destitutum, opera multorum in me-

dium

dium protuli, ut tu ipse ex tota illa turba deligeres, quem frequenter reuocares ad manum, & cum cæteris, quorum familiaris est & quotidiana tibi lectio, tecum circumferres. Multis hinc inde reuolutis, quum introspexisses tuum hunc Calentium, tibi protinus arrisit eius stylus: atq; adeò, ut quoniam nusquam bibliothecarum reperiebatur exemplar, ad chalcographorum typos redire iusseris, ut cæteri inde fructum caperent, & tu ipse eo utereris pro enchiridio. Feci, quod imperatum est. curaui imprimẽdum: tametsi uiderem me non sine felle ab his culpatum iri, qui neotericos omnes à theatris literarijs expellendos putant, atque ultra Sauromatas & glacialẽ Oceanũ relegandos. Sed tundant me suis malleis, quantum quantũ uolent. Sanguinarias eorũ carnificinas nec pili facio, modò tuã mihi beneuolẽtiã demereri poßim. Facile cõcedo, ut iã alibi feci, antiquitati primos deberi accubitus. neq; tamen propterea mihi placet, neotericos omnes ita respui, ut ne à limine quidẽ

salutari debeant. Contrà qui sentiunt, nihil aliud suis contendunt argumentis, aut assequuntur, quàm ut si quid ipsi recens emiserint, ea reijciatur lege, qua cæteros relegāt, & in exilium mittunt. Nisi fortè tantū sibi tribuuant, ut quia grande aliquid, & hominum memoria non prius auditum fingunt, atq; etiam cōminantur se parturire, iam cū antiquißimis conferri uelint. Reuertor ad tuū Calentiū, Ioannes probatißime: de quo quid animi habeam, si rogas, mihi sanè uidetur purus, florulentus, & bonæ frugis. Has autem epistolas quo'nā modo scripserit, oblatis'ne ex re argumentis, an ut maiori seruiret eloquentiæ, de industria quæsitis, aliorum esto iudiciū. Nam utcunq; fecerit, nec te, neq; quenquam pœnitebit eius lectionis, si modò ita legatur, ut propterea non excludatur Cicero. Lege, lege, quicquid dicant superstitiosi antiquitatis præcones, & ætatis suæ carnifices. Si quis opinionem hanc reprobet, mihi ipsi et causæ meæ patrocinabor. Porrò quoniā hactenus & literas, & literas

literatos omnes incredibili quodam amore proſecutus es, perge ut cœpiſti: non eſt, unde tua dignitas maius incrementū gloriæ poßit capere. Vale, et tui Textoris reminiſcere: quē nullis unquā laceßitus beneficijs, in tuam familiā magna mercede cōuocaſti.

ELYSII CALENTII AMPHRATENSIS Epiſtolæ.

Ad Hiaracum. 1



Piſtolas meas, Hiarace, quas uel ad te hactenus ſcripſi, uel ad amicos, & Neminē Forbianū, in hoc opuſculum cōieci, ne, me ſaltē uiuo, deperirēt. Harū tamē aliquæ breuiores cultioresq; ſunt illis, quę prima fornace editę me inſcio, prodierunt in lucē. Eas te legere cupio, ſi quid uſpiā tibi ocij detur. Aſpicies enim, quæ ſparſim legeras, quaſi unū in corpus redijſſe: ac lōgè melius & doctrinā excipies, &

Calentij tui mores iudicabis. Quæ autem cæteris ſcripta ſunt, ſi talia reputabis,ut te digna eſſe uideantur, ea quoque tibi exiſtimes dicta.Forbianum uerò ne credas uiuere : ſed quæ ulli uitia deprehenderim,homini tribuiſſe,quem ſceleſtiſsimum cognouiſſem. Si quis autem ſe Forbianum dici putauerit, optimum ſe uitæ ſuæ cenſorem profitebitur.Viue.

Hiaraco. 2

MAlum & bonum, extrema duo longè diſtantia : medius quidē homo, quaſi digitis utrunque contingit: qui ſi ad alteram eorum partem declinauerit alteram deſtituat neceſſe eſt.Vtrum mlis Hiarace,dum tener es, & comis puèr,elige : uitium ſcilicet, aut uirtutem Duo hæc enim ſimul eſſe non poſſunt Quòd ſi ad deteriorem conditionem animum adieceris, fruſtra Deos incuſabis,ſi quid tibi unquam aut durum aut miſerum acciderit, aut iniucundum, à quibus tibi boni mali'ue eligendi pro arbitrio data poteſtas ſit.Virtuti te addicas

dicas uelim, cum qua omnia læta sperãda: & si quid fortè præter spẽ euenerit, propulsatur facilius, aut leuius toleratur. Sed in primis bonarum artium studia, & Philosophorum disciplinas sectare: quod uirtutum genus omnium pulcherrimum puto, & quod fortunæ minus timeat mutabilitatem. Viue.

Furiano. 3

NE te, per Deum, ita perdere, ut cœpisti, Furiane perseuera. Priusquam irascare, priusquam litiges, pátere. Litiges autem coactus, si litigas: uel tuendæ rei gratia, uel tuendæ famæ, uel tandem uitæ; cui omnia cedunt, & quam iurè seruare, aut iniuria, nefas non est. Ea quidem & brutis quoq; adeò chara, ut pro tuenda corpus negligant, obijciant telis, aut hostibus infestissimis: quod ego alienum à ratione nimium puto. Tu autẽ miser ultro te conijcis in sepulturam. Frustra enim irasci, ut assoles, uitæ perniciosum. Litigare uerò frustra ni cessaueris, pœnitebit te aliquando fuisse hominem, Furiane. Credas.

Colotio. 4

COloti, ſi me amas, utere: ſi non uteris, illud in argumento eſt, non amabis. Viue.

Rutino. 5

OMnium rerũ uiciſsitudinem eſſe dixerunt: id quoq; tibi familiare prouerbiũ eſt. Caue Rutine, te ob id regẽ futurũ, aut pontificẽ ſperes. Rarò quidẽ uirtuti locus apud homines. in humanis enim Fortuna plus poteſt, ſcelerum fautrix, inimica probis ac bonis dea. Tu autẽ Rutine dũ ſperas, claudus fieri, aut cæcus, qui nõdũ fueris, time. Credas.

Portiliaco. 6

EGo, Portiliace, non is ſum, qui ocio mihi quietem comparẽ, ſed negotio animi iucunditatem nanciſcar. Eam me diem uixiſſe nõ exiſtimo, qua nihil aut feci, aut ſaltem uidi noui. Noctem quoq; perdidiſſe arbitratus ſum, qua nihil in ſomnis habui, quod animum delectaret. Deniq; cum nihil habeo aliud quod agam, lectulum ſterno, libellos purgo, ueſtem

ueste uerbero, aut deambulo, diuini aliquid humani'ue, publici aut priuati operis spectans. Tu identidem facias uelim, si me tibi amicũ, & in rebus omnibus fautorem esse uolueris. Quære.

Architelitæ. 7

LOngè arguendus es Architelita, qui parta uictoria lætus, & meditando tempus consumas, & reparando exercitui uictor intentus sis: neque quid futurum sit, respicis, neque tibi consulis bene. Habet hoc rerum domina Fortuna, cum sese facilem exhibet, nisi admittatur euestigiò, faciem auertit: neq; amplius respicit, quem reliquit. Tu si mihi hac una in re obtemperares, profligatos ne desereres, fugientes persequeretis, ne fortè uspiam resipiscant: & fortunæ te comitem, non obuium præberes. Stulte.

Opherundio. 8

QVamobrem id fiat, Opherundi, non intelligo, ut hi quibus aut dignitatẽ aut opes fortuna obiecerit, uirtutem se glorientur adeptos: neq; gratias ei, quę

dederit, habeant. Profectò aut nulla ea est Fortuna, quam dicunt, aut rerũ omnium clemẽtissima putanda, quæ non succẽseat ingratis dea. Credas.

Hiaraco. 9

HEri Neapolim uesperi sum ingressus, quo die Kalendæ Ianuariæ legebantur. Elionoram sororem tuam salutaui, & fratres duos. Regem nondum sum allocutus: impedimento mihi fuere Genuensiũ legati, qui de componenda pace simul agebant. Hodie rem tuá si egero, cras à me literas expectato. Viue.

Furiano. 10

PRofectò, Furiane, aut ego te amare iam desinam: aut tu mœstitiam istam animi, quæ te excruciat, & rerum solicitudinem mittas. Indignum quippe, qui poetas lectites, & insecteris, uultu esse non hilari. Illud animaduertas uelim, uarijs hominum generibus uarios mores deberi, & uarios uiuendi modos. Audaces milites esse, iudices seueros, decet: perspicaces medicos, sacerdotes tristes, poetas iucundos, & qui semper

per aliquid in animo habeant uoluptatis. Tu igitur, ſi uates eſſe uis, triſtitiam abijce, ut Muſis & Apolloni pateas, Furiane. Non enim habitant loca mœſta, & animos triſtes atque infelices, Dei. Ride.

Opiliano. 11

MEminiſti unquam, procelloſo in mari nauem diu iactari, atque ab littore pelli: mox peracta uenti ui, ſubitò in portum labi? Sic Opiliane ſunt, qui reges ſequuntur. Spera.

Forbiano. 12

PAraſitos iſtos, & quos tu recipis nebulones, Forbiane, quanti æſtimes, non intelligo. Eos te amare iudicas, qui te cœnandi gratia laudant? Erras, ſi tales putas amicos, qui de te aliter domi, aliter foris ſentiant. Iſthic ſapientiam admirantur, illic dementiam tuam rident, qui tam facilè omnia credas. Genus hominum peſsimum, & latēti profectò aſpidi ſimile. Amicos tibi exiſtimato, qui te errare poſſe, ac conſilio egere dixerint, qui aſſentatores amoue-

rint:

rint : rei tuæ ſeruandæ intenti , te amarint, paruerint , interdum obiurgarint. Quòd ſi ſecus acceperis , illud in te rectè dici poterit Forbiane : Obſequium amicos, ueritas odium parit. Stulte.

Edochino. 13

POetas & oratores non eadem cum cæteris diſcipliuis ſententia uiuere, aut credere cum cæteris omnia , culpas Edochine. Quaſi tu id dicas, quia decipi cum cæteris neſciant, neq; quippiã credant, niſi quod ipſi aut uiderint, aut certis rationibus approbetur . Sic Edochine, ſi animaduertis, homines laudas. Ignaui quidem ingenij eſt, facilè omnia credere, & aliorũ ingenio frui : quærere autem & perſcutari, ſapientis . Tace.

Armigetæ. 14

NE culpaueris Armigeta noſtrã hác, quam dicimus, religionem, ſi quos numinum ſacerdotes appellamus, eorũque Pontifices , mali ſint: ſiue qui plus habuerit dignitatis , longè minus habeat religionis. Identidem in ſole animaduerte, cui quanto quis proximior

ſit,

sit, tanto uideat minus. Neque solis quidem ea culpa est, sed oculorum, qui cum tantam luminis uim ferre non queant, eam quam prius habuerant, uidendi facultatem amittant. Quo fit, ut hac, ueluti illa in re, qui humiliores ac remißiores sint, digniores ac proximiores esse censeantur. Vtque neque sol ipse tenebrosis oculis aspectu inficicitur: sic neque religio, quæ sanctißima est, malis præsulibus, & templorum custodibus sceleratis maculatur. Crede.

Iliodoro. 15

QVem misisti ad me hodie Dorocletum, clientulum tuum, ut librum posceret, nondum noueram. Neque tamen apud te puerum esse suspicabar, qui capillo ac facie mulieres imitetur. Quod ni te nouissem, profectò alium iudicassem, Iliodore. Verùm neque sat est, bonum esse tantummodo quempiam: sed uideri quoque, & suspicione carere necesse est. Indulgebis igitur Calentio tuo, si dixerim: Iliodorus, ni quē domi habet puerum, eijciat, si dij continentiæ

tinentiæ testes sint, Calentio posthac bonus non erit. Dixi.

Furiano. 16

NVptias, Furiane, literis & philosophiæ impedimento esse, non ignoras: ac nascentes liberos ingenium à liberalibus artibus, ad rem parandã conuertere. Verùm quas domi esse aiũt impensas, lites ac molestias, ne time: quæ longè foris grauiora sunt, siquidẽ rectè inspiciantur. Nã uxori quod emeris, tibi emes: & facile, cũ uolueris, uẽdes. Amicæ autem quod dederis, perpetuò perit. Lites item domi, si uolueris, aut placabis, aut uinces. Riuales autẽ, uel eos quos læseris, neq; placabis cum uoles, & maximo cum periculo interdum nõ uinces. Molestias aũt longè maiores ab amica senties, quàm uxore. In illa enim suspiciones multæ sunt, in ista uerò nullæ, aut profectò exiguæ. Habet hoc sancti matrimonij bonitas, ut pessimæ quoque uxori fides habeat, & quod uinculũ solueret, ignoretur. Verũ si qua domi est ab uxore, ut fit, molestia, liberorum

gra-

tia profectò ferédaest,ut sint quos tu te habeas chariores,& qui patris senectutē ac miseriā leuēt.Ego enim eius sententię sum,ut sine illa rectè nō uiuat.Quod si fortè alij aliter senserint,adduci facilè potest, ut aut homines non sint,aut aliqua turpitudine nō abstineāt.Vxoré igitur tibi,& iuueni &fortunato,ducendā cōsulo,Furiane:bonis tamen parentib. ortā,& morib.institutam bonis,tenerā, quæ amatores nondū norit.Ea si apud te immutetur,non in illa , sed in te culpa omnis animaduertenda erit.Scito.

Vpherino. 17

FAlsò accusabatur nudiustertius apud te Baruntinus , de uirgine uitiata . Profectò audaces nimium habuit accusatores:tu quoque nimium,Vpherine , ad damnandum hominem uelox. Siue puellæ gratia feceris,siue odio Baruntini,non laudo. Iudicem quippe sine amore atque inuidia esse oportet,ne quempiam lædat.Illum equidem admirabar , qua fronte aduersarijs responderet , quam'ue temperatè causam suam

am tueretur, neq; quicquam timens, neque faciem mutans : quod maximum in ea re signum innocentiæ fuit. Postremò quàm pulchrè calumniantium iniurias propulsarit, qui sinum aperiens, neq; uirũ se esse, neq; mulierẽ ostẽdit, facileq; ratiões suas omnes nullo teste cõprobauit, & te asinũ fecit, Vpherine. Valeas.

Hiaraco. 18

Conueni iussu tuo, Mecœnatem & Pollionem, quos dicunt. eis, quid tibi fieri uelis à patre, commemoraui. Ambo rem tam paruam desperant, neque licere aiunt tibi id petere, neque regem dare consueuisse : postremò se de ea re uerbum nullum facturos. Intelligas nemini te esse, quàm tibi, chariorẽ. Viue.

Hiaraco. 19

Magum me fortasse putaras Hiarace, quem thesauri effodiendi gratia mi seras in oppidum latum satis, ac desertum, ubi neque monumenta ulla, neque indicium eius rei aliquod erat. Quid minus est hoc, quàm sine oculis uelle in Galliam, aut Aegyptum ire? Ego iam montem

montẽ hũc penè omnẽ effodi: deniq; nihil cõperio aliud, nisi lapides ac tellurẽ. Iube igitur, ad te redeã, cũ hoc, quẽ habeo, thesauro, cui effodiẽdo puer sufficies solus. Thesaurum tibi esse meo in pectore existimato, unde disciplinã hauri as, atq; ingeniũ excolas puer: quãdo tibi à Rege patre ob eã rem datus sum, ut utriusq; thesauri tibi & conseruator, & exhibitor quotidianus forẽ: alterius, scilicet corporis: alterius, animi, quem meliorẽ puto. Ex illo parcè cõsumas, si mihi obtẽperes, uelim. Ex hoc aũt, quã tũ uolueris, licet accipias. Nunquam enim, etsi molestus fueris, negabit: neq; si multum acceperis, minuetur. Viue.

Forbiano. 20

Visendi tui gratia ueneram ad te, Forbiane, occlusum reperi rem sęuam facientem. Aliud te puto agere, quàm cũ superis loqui. Si rediero posthac amplius, neca hominem. Valeas.

Hiaraco. 21

Pessimè tibi consulere istos, Hiarace, uideo, quos tu diligis adolescentes,

dum ſtudia literarum deſerenda, libidines uerò, conuiuia, uenatus, cæteraque huiuſmodi animi oblectamenta molliter ante oculos ponunt. Non conuenire aiũt Regibus ſtudia humanitatis, quę fabulas uocant: hiſtriones autem & meretrices habere, ad uoluptatem conuenire: iudices ac ſophiſtas diſcere literas oportere, non Reges, qui cum imperio nati ſunt. Improba quidem uox, & nequaquam libero homine digna. Quis regem negat ſapere oportere, niſi regem nõ eſſe eum debere profiteatur? Sapientiáne, an ſtultitia & ignauia populos hi regendos putant? Iudices habendos eſſe dixerint, qui regimini conſultant. Illud eſt, Hiarace, dicere, canes habe dos eſſe, qui cæcum ducant: qui ſi no recta proficiſcantur uia, præcipitem co mitem trahant. Tutiúsne eſſe exiſtimãt, aliorum iudicio, quàm ex ſententia uiuere? Longè profectò errant: tu quoque longius Hiarace, ſi talibus auſcultaueris. Regem te eſſe uis: diſce prius, quid ſit quod Regem agere oporteat.

Et in primis sapientiæ studia, & humanitatem cole: Philosophos sectare, Poetas lectita: Leges scito, quæ tibi oculos faciāt, & qua profecturus sis, largius ostendant uiam. Vale.

Cassianæ. 21.

Culpo te equidem, Cassiana, quæ puella cum sis genere haud ignobili nata, forma & ætate utili, patri te uiro tradere uolenti repugnes. Religionem simulas, expetens uirginitatem: neque id quidem dignum non existimo indulgentia, si tali animo fiat. Verùm cultus hic, atque habitus, religioni non congruunt. Quamobrem timeo, ne aut corrupta sis, aut quempiam ames, cui ducendam causa aliqua uxorem leges prohibeant. Dianam memoras in fabulis uirginitate haud dubia, cultu corporis, forma, habituque non neglecto hilarem uitam duxisse, arcu pharetraque in delicijs usam, uenatibus assuetam: cantus prætereà, choreas, flosculos, animi oblectaméta habuisse: fontibus lauisse ad politiem, atque unguento capillum fecisse

conſpirantē:neq; polluiſſe talia caſtitatem neq; uitā labefactaſſe. Cui quod reſpondeam, nihil eſt aliud in præſentiarum, niſi te fabulas allegaſſe. Patri obtemperes uelim, qui te genuit, nutrijt, erudiuit, ut generum pararet ſibi, & opibus & nobilitate parē. Nube puella, dum tenera es: nube, dum formoſa, & amantibus places. Nam diu uirginis tuta fama eſſe non poteſt. Mulieres enim uitibus ſimiles ſunt, uiri arboribus, quibus adhæreant uites: ſine quibus neque fructum ullum imbecilles ferent, neque ſi quempiā afferent, ſuſtentabunt. Audi.

Tribus fratribus. 23

IOcunditatem Parſilico, diuitias Orocleo, Phiſomeni paupertatem, fratrib. tribus, diſpari more uiuentibus, dico. Demiror uos equidem iuuenes, qui germani cum ſitis, uno ſanguine editi, uarias in uoluptates ac ſtudia diſtrahamini. Alter enim auaritiæ deditus, rei parandæ intentus eſt: alter nimiæ uoluptati, uitam ſibi hilarem expetiuit: tertius utrunq; aſpernatus, in lachrymis ac triſti

tia

tia ætatem consumit. Saturni filios imitamini fratres, si fabulis credimus: quorum alter sibi cœlum habitandum delegit, alter in terris esse maluit, tertius ab utroque dissentiens, aquis se liquidis perpetuò addixit. Quem uerò uestrûm magis laudem, iuuenes, haud scio: nisi luctus ille ducat ad felicitatem. Quod si sit, iucunditas ad perniciem, eritque rerum uicissitudo. Auaritiæ uerò neq; hic, neque alibi dabitur felicitatis locus. Agite.

Archimenio. 24

POteras Archimeni, rei tuæ rectius consulere, ubi de regno controuersiam uideras, si neutri partium adhæsisses: neque modò ad alteram, modò ad alteram, cum fortuna declinasses. qua pro re utriq; odio habitus, domo exulas. Ad amicos diuertis, ut tibi iam, tua culpa inopi facto, subueniant: quos immutatos conquereris, & desertum te pariter ab amicis ac cognatis doles. Iurè quidem pateris Archimeni, qui nemini seruiueris, ubi ambobus gratam rem fa-

cere adortus es. Domi tibi potius manẽdum fuit, familiam curandum, ciuilibus discordijs abstinendum. Quod si fecisses, domi modò sine molestia uiueres, & uictori post id gratus esse tua opera potuisses. Stulte.

Himeriano. 25

FAcis Himeriane ita, uti uiros haud insipientes decet, qui neq; uxori suc censes, neq; Frontino insidiaris. Vbi amare inter se cognouisti, scire dissimulas, ne qui mitissimus antehac habitus sis, uitá in senectute macules sæuitia aliqua. Hinc illa est bonitas, quá dicũt bonos quàmplurimos gignere: quorum tu optimus esse, Himeriane, meo iudicio potes. Laudo equidẽ te, tuáq; hanc animi mansuetudinẽ, qui bos esse inter beluas, quàm leo maluisti. Patere.

Emboidi. 26

MAlè te nuptam Emboidem dicis: ideoque amare, ac uenia dignam, puella existimas, si quid in amore præter spem parentum uenerit, qui filiam uiro deformi, neq; amato cõmisissent.

Equi-

Equidem ego quoque tecum in ea re ſentio, ſi uoluptati obſequendum ſit, neque uirtus libidini anteponẽda. Profectò in ea re patres plurimi peccant, qui dum natæ nuptijs conſulunt: neque puellæ animum perſcrutantur, neque quicquam præter opes, aut progeniem, in affinitate conſiderant. Quantum uerò libidinis habeat tener animus, nõ aduertunt: quamúe difficile ſit, rem gratam petentibus non annuere. Qua in re puella, ſi continueris, maiori te laude dignam, quàm uenia, ſi peccaueris, exiſtimabo. quod ſi pulchrũ eſſe confitemur in uiro, perpetuam gloriam breui uoluptati præpoſuiſſe: quanto in muliere præclarius, quę imbecilliori natura atq; animo procreata eſt? Ego igitur, quanquam tibi formam hanc atque ætatem ſcio nocumento eſſe, ad fidem ſeruandam: tamen ad frenandam animi tui libidinem & moneo, & exhortor, ut inter ignotas potius laudatæ honeſtatis mulieres, quàm inter clariſsimas meretrices annumereris. Tace.

Hiaraco. 27

QVòd iamdudum amici desperabāt, ego tibi à patre facillimè impetraui, ita facilè, ut uerbum non refelleret, contra eorum opinionem, qui dissuadebāt. Literas ad te de ea re defero, ut intelligas ita esse. Cognosces autem Hiarace, patrem tibi esse mitissimum, cæteros autem sua causa tuos esse polliceri. Viue.

Furianò. 28

COnsolarer te equidem, Furiane, in his lachrymis: ni, quod suspicor, læticiæ tibi plus hæreditas, quàm doloris patris casus attulisset. Quòd si non sit aliud, est quo uel ab ea re desinam, Furiane. Nosti enim, quales esse uel læta uel mœsta fortuna sapiētes deceat. Neque tibi monitore opus est, qui alios & monere soleas, & obiurgare. Quippe te non puto cum Epicureis uiuere, qui non dolere aliqua in re, pulchrum putarunt: neque cum his, qui dolere summopere ac lamentari iubent. Eos te sequi arbitratus sum, qui dolendum esse censue-

censuerunt,ut à brutis dissentiatur:uerum adeò dolendum, ut nunquam discedatur à ratione,quæ homines à cæteris animantibus dissimiles facit. Puellarum quidem lachrimæ sunt, uoces puerorum: beluarum non curare, hominum dolere, uirorum autem fortiter ferre.Horum tu, Furiane, quorum esse malueris,uide.Illud autem in primis animaduertendũ, ne dum te uirum exhibere studueris,beluã exhibeas. Geme.

Mulgarino. 29

HAbes filiam Mulgarine, forma & ætate non inutilem, quam Lepidam uocas. Eam tibi senectutis baculum addixisti pater, innuptam domi retinens: quæ nõ ut parentẽ aleret, tuereturúe, sed ut iuueni tradita, sobolem genitam pari tecum amore complectatur, nata est.Mulieres quidem plantulis arborum aut herbarum similes sunt, quæ nisi aliò transferantur, euellanturq; à solo, in quo natæ sunt, frugi esse non possunt. Aut enim iusto plus adolent, aut arescunt:quod in lactucis rectius,aut brassicis,

ficis, si uoles, aspicies. Vide, ne in lachrymis senectutē consumas, & domi tenuisse te filiam nubilem, serò ac frustra pœniteat. Audi.

Philæno. 30

DElectari te, Philœne, audio nouis rerū nominibus, & dicēdi genere inaudito. Loqueris enim per ea, quę tu tibi fingis nulla ratione, uocabula, quo difficilius intelligaris, ac lōgè sapiētior uideare. Admirabile profectò ingeniū, & ars hominis lōgè mira. Verùm ego in hac re tibi, ueluti in cæteris, auxiliū feram, ne gemino te labore fatiges. Tu loquere: ego tibi cóperiá, quid loquaris. Itaq; scito Deū coli, demū nouo nomine appellari, Cœlū ormothogeū, Lunstrilicē, Solem phorbiontē. Stellę dorosicę sint, terra catepirmia, flumina listriona, mare timurteū, fontes limpedori, arbores gamurreę, mōtes lateburni. Siluas calefurnias appellabis, homines lamureos, sapientiā ueturinā, stultitiā philęneā. Habeo pręterea, quę nūquā deficiāt. Hęc ubi satis nō erunt, ad me ueni:

faciam hercle, ut neque hominibus, neque beluis intelligaris. Stulte.

Miniato. 31

MAximum te in periculum Miniate coniecisti, dum stellis ac sideribus credens, iracundo principi uictoriam haud dubiam polliceris. Nam siue tu numerando paulisper erraueris, siue te tuæ semel stellæ fefellerint, Miniate pēdebis. Time.

Forbiano. 32

SOmniasse te nuncias literis, equum tibi me, quem penè oculis habeo chariorem, quòd ab Hiaraco datus sit, dono daturum. Audisti Forbiane, curare parum somnia sapientes: raro siquidem uera prædicunt. Tu nisi stultus esse mauoris, uisionibus eiusmodi posthac fidem non habeas. Spera.

Hiaraco. 33

IVbet Rex, quamprimùm ad se uenias. Causam itineris non intelligo, nisi id fit, quo filij patribus uocari consueuerunt. Spero fore, ut ditior ac melior reuertare. Veni.

Sauiano. 34

CYnicum noſtrum reuiſi: hodie nemo eſt omnium profectò, qui uiuat magis fortunatus, neque cui magis omnia ſint iucunda. Ita res ſuas omnes, uitamq; comparauit, ut nemini unquam poſsit inuidere. Sportulam cynicam, & cynicam lucernam, & quas phialas nominat, tandem uidi. Nec me uidiſſe pœnitet, ſuppellectilem tanti uiri. Dimitto lyram, imagines, libellos, quorum cella pleniſsima eſt: dimitto uaſcula nondum uiſa, pictas tabulas, philoſophorum monumenta undiq; collecta: omnia denique ad politiem corporis atq; animi parata. Ipſum demiror tam ſobriè uiuere ut non niſi peracta re, quam ſibi quotidie peragendam decreuerit, cœnet, aut deambulet. Diem ſibi eo modo partitur, ut neq; unquã ocioſus ſit, neq; unquam rerum ſtudio fatigatus. Viue.

Hiaraco. 35

MEdiolanũ mitteris Hiarace, fratris cõiugẽ adducturus: hoc eſt, quod te Rex propere accerſiri iuſsit. Aurum,

620

rum,ueſtes,comites, equos, omnia deniq; parata inuenies ad eam rem. Vola.

36

Curſilio.

Qvàm pulchrè faciat Himerianus, uides, qui cum Frontino ſimul & uxore cœnat, ludit, agitat conſilia, modò germanum, modò ſocium uocans. Hominem accipit, ut doleant inimici. Callidus eſt: nouũ comperit ulciſcendi genus, quod nemo prius ſapiens excogitauerat. Credo uelles, ita Celius ſaperet, qui te non inuitum ſæpe ad cœnam cõpuliſſet. Miſer.

37

Sipontino.

PRofectò, Sipontine, hominum uita omnis inſania. Nam & hi qui ſe ſapientes exiſtimant, inſani, quia ſe ſanos xiſtimauerunt: & inſani, qui ſapientes exiſtimant inſanos. Neque quiſpiã eſt, qui ſe non ſanum maximè putet, ſapientem uerò neminé præter ſe. Quare inſani promiſcuè habiti, opinione ſumus omnes ſapientes. Stulti.

38

Auiano.

QVem potiſsimum omnium amem, quem ue

quem'ue habeam odio, rogas Auiane: quasi tu id nescias, qui me penè genueris. Amo, qui pueros oderunt: odi, qui pueros amant. Illos, quia sese homines esse meminerunt: hos autem, quia sese beluas profitentur, rationis immemores: Deorum bonorum dona sic aspernantur, ut confundi ius Naturæ uideatur. Verùm illud animaduertas uelim, ulcisci eos Naturam miraculo nescio quo: & in mulieres uerti, qui fœminas esse mares uoluerunt. Vides.

Hiaraco. 39.

CAue quicquam Hiarace dixeris unquã, aut feceris, quod si opus sit, nequeas ratione defẽdere. Illud enim pucherrimum est in uita, & quod dicas rectè scire, & quod agas nõ ignorare. uiu

Iliodoro. 40

LIteræ à Rege delatæ sunt, quæ Reginæ obitum nunciarent. Hæ quali animo scriptę sunt à Rege, tali ab Hiaraco lectæ ut non puerum, sed uirum fortem putasses. Lachrymulas aliquas non tenuit, quo se hominem, & filium, in ma-

in matris morte fateretur. Sed nos in tuens: Citius, inquit, filius cœpi esse desinere, quàm uolebam: Dij alium parentem seruate, illam diligite. Inde uestem lugubrem, & exequias parari iussit: aduocatisq; proceribus, sine lachrymis aut singultu rem mœstam aperuit. Lachrymantibusq; cæteris: Ne flete, inquit, amisisse uos Reginam: saluũ uobis Regem esse gaudete. Mirâti omnes pueri fortitudinem, magnam sibi spem de illo promisere. Tu autem huic tam mœstæ rei ne desis uelim, ut tibi utilem, & illi gratam rem facias. Vale.

Hiaraco. 41

MVlta nobis à Natura parente instituta sunt, quibus accusanda sæpissimè uideatur. Queri enim quàmplurimi solent, plus eam cæteris animantibus, quàm homini tribuisse, ueluti ad æstum, hyememq; sustinendum, iniurias propulsandum, inferendumue ubi libuerit, ac postremò ad uitam ipsam à fame tuẽdam. Quod ita probari

posse

posse putauerunt: ea quoniam pecudi lanam, iumentis pilosa tergora, plumas auibus dederit, homini uerò nudam ac tenuem pellem. cochleis præterea testam, cornua bobus & ceruis, apro dentẽ, uolucribus rostrũ & ungues: nobis tantũmodo molles atq; inermes manus. illis herbas ad uictum paratas, homini labore quærendum quod edat. Verùm cum brutis Natura propriũ aliquid tribuisset, homini nihil horum perpetuum, sed rerum scientiam atq; optionem dedit, quibus uiuentia cætera superaret. Nam domum ædificare, ubi uoluerit, in arbitrio est: supellectilem parare, uestem diuersicolorem ac mutabilem induere, uel auro contextam, licet. Inuenta uerò ad hostiũ iniurias propulsandas, nocendum'ue, si libuerit, uallũ, murus, propugnacula, fossæ, thorax, scutum, casis, ocreæ, tormenta, ensis, pila. Vitæ auxiliaria sunt, quæ uel à Natura ipsa data sunt, uelutiaues, quadrupedes, pisces: uel quæ nos ipsi adinuenimus, cpularum genera uaria. Data præterea c
ter

teris animantibus dominandi poteſtas, ac nobiſmetipſis. Quòd ſi iuſticiam ſeruare noluerimus, in alios irruendi libertas eſt: quandoquidem armatis omnia in patulo ſunt, & occupanti cedunt: terra mariq; imperium latè homini datum. Vide igitur, quantum nobis, Hiarace, natura cõtulerit, ut prętèr immortalitatẽ paulo amplius poſsit accedere. Viue.

Furiano. 42.

PEtis Furiane, tibi à me breuius ſcribi, quo legere tibi inter negocia plurima facilè ſit. Geram hercle morem melancholico: itaq; breuiſsimas à me poſt hac epiſtolas expectato. Vale.

Curſilio. 43

EQuidẽ te, Curſili, quanquã uates es, ingenio claro ſatis, quoniam lites ſequeris, nõ amo. Nihil enim Muſis odioſum magis, quàm animo inquieto eſſe. Nil præterea gratius & amœnius, quàm uitã uiuere liberã & iucundã, atq; omnium neceſsitudine frui. Tu bellum ſi uis, Martẽ ſequere: Muſas Veneremq; relinquè his, qui iocos potius, quàm aliorũ

iniurias quærũt, aut uulneribus gloriãtur. Canere siquidẽ Pegasides, nõ gemere aut tristari consueuerunt. Stulte.

Furiano. 44

Furiane salue. Vale Furiane.

Hiaraco. 45

INuidere mihi aliquot æmuli, puer Hiarace, quòd tibi adeò gratus sim: nihilq; unquam mihi, nisi ridens lætusq; loquare. Hoc ego, nescio cui potius tribuã, an mãsuetudini tuæ, an meę potius facilitati, quæ nemini unquã nisi bono & honesto gratissima fuit. At id gaudeo, uitã mihi talẽ instituisse, ut inuideãt. Nihil enim timeo, quando te iustissimũ, & me satis sincerum noui. Ego enim, quantũ in me est, Hiarace, dabo operã, ut ardeant indies magis: id est, ubi tibi charior sim indies. illi autẽ se pessundabũt suapte natura. Nã cũ cætera malorũ uicia bonis usq; officiant, sola inuidia est, quę primùm ulciscitur possessorẽ. Viue.

Forbiano. 46

FOrbiane, dij tibi oculos seruent. Nõ es mendax, quando Calentiũ dicis te amare.

amare. Viros ingenio claros, non ignauos diligis. Profectò in omni re probatus es. Satis deos beneuolos fore tibi spero, pro tuis meritis. Nunquam Forbiane cessabis tu quoq;, mecum rogare pro tua ualetudine superos. Verte.

Regi. 47

ORo te, bone Rex, qui nosti ex hominibus facere asinos, ut me quoque cum Forbiano facias asinum. Mira profectò res. Animaduerti, cumprimũ quẽpiam ditas, subitò desinere ab humanitate: neque generis, neque sui, neque amicorum reminisci. Forbianum modò quis neget beluam factum esse, cui mores cum diuitijs immutati, & lingua, & uox, & oculi? Denique, ut ne quempiã gnoscat sociorum. Fortunam timeat, quæ sola nouit ex asinis facere homines. Viue.

Falerio. 48

QUid de te dicam, nescio, Faleri: laudẽ ne te, an potius demirer, qui cõmunem hanc hominum pestem, quam libidinem uocant, adeò despexeris, ut

neque hominum mores ſequi, neque na turam uideare. Felicem te profectò iudico, qui nunquam matronarum blanditijs captus ſis, neque puellarum lachrymas noris: ſed earum mores atque ineptias ita facilè contempſeris, ut inuideam. Genus animalium deſpicis, ſanè quidẽ utile genituræ, ſed moleſtũ adeò, ut ſatius ſit contẽnere, quàm uelle perpeti: quo neque fœdius eſt aliquid, neq; uilius quicquam, neq; quicquã leuius, aut minus fidei habens. Ego profectò in ea re tibi faueo, Faleri: ſi continentiam iſtã perpetuò ſeruaueris, nemo te quietior eſſe in uita, nemo iucundior poterit, nemo beatior. Perſeuera.

Furiano. 49

QVæro mehercule, Furiane, quó nam tibi gratus eſſe ingenio poſsim, qui me adeò incuſas, quòd in ſcribẽdo tibi modò lõgior ſim quàm uelis, modò breuis nimium, ut nihil in epiſtolis habeas, præter ualetudinem & ſalutẽ. Neque id quidem parum eſſe exiſtimo. cętera ſine uerbis dici, Furiane, non poſſunt, quæ te

te legere desidem piget. Profectò in omni re difficilis es. Nec mirum, si tecum uiuere nesciam: qui neque uiuo patre, neque mortuo lætus sis. Valeas.

Saguntino. 50

MAlè tibi sit perpetuò, Saguntine, qui nunquam nisi maledicere consueueris. Quæso hercle, hominum ignauissime, quo te deo genitum putas, ut neminem tibi existimes æqualem esse, uel genere, uel scientia, uel honore? neque pati uelis quempiam secundum uirtutem laudari: neque tu quempiam laudes, nisi te, tuamque optimam progeniem Saguntinam. Desine stultissime de te dicere. Hoc alij uideant, uirtutem quā melius cæteri probent. Verùm quia nemine laudari te scis, aliorum uices accipis: qui uerò tibi post tergum rideant, non uides. Desine de omnibus malè loqui, & mordere clanculum, Saguntine. Belua.

Sipontino. 51

PRomiseram me, Sipontine, ad cœnam uenturum. Quòd fefellerim,

gratias habe. Detinuit me Colibertus, hominum molestissimus, deambulãdo, & se usq; adeò magnifaciendo, ut scis, quousque defessum redderet. Quem si cœnatum apud te, mecum adduxissem, timeo, ne mensas etiam post epulas uorasset. Viue.

Hiaraco. 52

MIraris Hiarace, quem mihi dono dedisti equum, tam subitò factum esse mansuetum, ut neq; mordeat amplius, neq; calcitret, neq; sese in tergũ, ut antè, conijciat. Laudabis artificem, si equũ laudabis. Illud oro tantummodò, ne reposcas: quandoquidem alius nusquam est qui me delectet magis, & forma, moribus, & incessu. Neq; ullum uidi animal unquàm, præter hominẽ, quod magis intelligeret. Porrigentibus ordeum aut stramen blãditur, uolentibus eripere infensus est. Catellis à tergo latrantibus calce alludit, obuijs pecudibus aut asellis morsu infestus: equis cæteris mitissimus, si mites sint: ferocibus autem, ferocior & immitior. Vide quàm mirè

mirè me pecus edocuit cum hominibus uiuere, qui uel mãsuetudine uel ferocia superare cæteros annitantur. Viue.

Solimeno. 53

EQuidem te, Solimene, tuáque medicina libentissimè utor. Nam præter philosophiam, qua nobilissimè præditus es, duo hæc in te ádmirari uehemẽter soleo: alterum, quià medicus non es macer: alterum, qúia philosophus non es tristis: quæ in hominibus eiusmodi soleo intueri. Quin etiam te læto animo semper, uultu sẽper hilari esse inuideo, & admiror: qui nunquam dolere, iocari autem çontinuè consueueris. Naturam existimo, cum te genuit, solito fuisse alacriorem. Gaude.

Martiano. 54

GAudeo, Martiane, gratam tibi meã esse sententiam, de Liguro dimittẽdo. Neq; putarem docto cuipiam aliter uideri, nisi uel odio Liguri, uel Spinẽsiũ amore moueatur. Quęso hercle, an nos qui nõ læserit, tradentibus nobis, pœnas fortasse immeritas luat: quid minus

est id, quàm eum qui nihil mali egerit, interimere. Læsos se Spinenses dicunt? ipsi uideant: apud nos læsi non sunt. Vlcisci uolunt? ipsi hominem capiant, supplicio afficiant, si libet. Ne nos suæ iniuriæ uindices esse arbitrentur, qui nostras remittere cõsueuerimus. Iure quidem Liguro nos fauere oportet, donec uel finibus nostris discesserit, uel fortè Spinensibus concilietur. Viue.

Veliano. 55

NImium me Veliane in discendo facilem putas. Possum equidẽ, si uelim, obscurius scribere. Verùm ego Latinus cum sim, facilè dicere, non Barbarè, pro ingenio nitor. Et cupio non doctis modò, sed & pueris quoque intellectũ iri. Difficilius quidem existimo, graues re clara oratione, quàm scabra & obscura posse pronunciari. Tace.

Hiaraco. 56

QVid te potissimum facere cupia rogas Hiarace. Iustitiam serua, neq; quicquã te, nisi iusticiam colere admonebo, quæ cæteras animi uirtutes, aut gignit,

gignit,aut amplexatur. Nam datum nobis à Deo immortalē animum remittere,iniuſtitia eſt: eodem quoq; non moderato uti,iniuſticia.Hæc eadem eſt,nō omnia metiri, & proſpicere nobis, qui rationis participes ſumus. Ea quidē in Deum primò,ac deinde in noſmetipſos ſeruanda uox, in omnes cuiuſuis generis homines:poſtremò cū brutis etiam ne duri fortè,aut ingrati uideamur. Eſt enim uirtutum omniū princeps, deorū hominumq; inſignis comes, principum ornamentum, urbium agrorumq; præſidium. Eius nomen horrendum ac uenerabile,ut malis terrori,bonis uerò lætitiæ ſit, tantæ quidem maieſtatis eſt, ut nihil poſt deos exiſtimē, quo uinçatur. Quod ſi dij ceſſarent, nihil eſſet præter iuſtitiam cui deitatis nomē iure tribueretur. Viue.

Hiaraco. 57

NE mireris tibi à me dictum eſſe,cum brutis etiam iuſticiam ſeruari oportere. Decet enim principes,non earum cauſa,ſed hominum, in domeſticas etiā

feras pios ac iustos esse. Nã si uiuum co turnicem deplumaueris, crudelem: si confectum senio canem domo eieceris, ingratũ: si tibi alludentem catellam cal ce depuleris, iniustum dicent, ac talem populis futurum trepidabunt. Aduertũt enim quę nõ cogites, & ẽ paruis grauiora concipiunt. Viue.

Artemio 58

SAlue Artemi. Si saluus es, si Dij te nobis seruarunt usq; modò, lætare iam. Neapolim ueni: præmissus ab Hiaraco sum, ut Regem patrem conueniam, salutem, postulem pro reditu pecuniã, sine qua neq; manere uspiam, neq; ire quopiam potis est. Speramus propediẽ uos reuisere: tu interea meos libellos sic habe, ut collaudem, atq; existimem amicissimũ. Ego uerò ad te rerũ tantum defero, quantũ popósceras. Quid autẽ nobis in itinere obuenerit, quidue didicimus nouarũ rerũ Taręti, audies. Viue.

Forbiano. 59

IRrideo te quidem Forbiane, qui beatos esse eos iudices, quorum uita solicita

licita eſt,animus inquietus ſpe,odio,timore,inuidia,ac libidine fluctuet. Hi ſunt,quorũ opes magnæ, diuerſo licet ingenio partæ,dolo ſcilicet,aut rapina, aut cęde,aut lenocinio,aut turpi aliqua patientia,uel opera turpi. Miſeros pręterea uocas,quibus diuitię nõ ſunt,quibus'ue anim⁹ à curis eiuſmodi abſolut⁹, qua ſi ocio ętatẽ conſumát: & quibus ſeſe rebus exerceant, non compererint. Aliter quàm rectè ſentis Forbiane? Rei tantummodo faciem intueris. Verùm quia tali opinione deuinctus es, tu uitá tibi illam beatã expete:mihi hanc quietam, quã miſerã uocas,relinque. Quod ſi rectius animaduerteris, fœlicem me, non illos iudicabis, cui nemo inſenſus ſit,cui neque inſidiæ neque uenena formidanda,& ſomnus domi æquè ac foris ſecurus. Diuitiæ ſi non ſint: neque admiſſa crimina, quæ me pœnitentia uſq; affligant. Denique id quod eſt, homini parum cupido eſt ſatis. Opes mihi mei libelli ſint: qui feſſum animum, Forbiane,demulceant,non fatigent. Abi.

Hiaraco

Hiaraco. 60

IVstitiam, Hiarace, cum effero laudibus, ac moneo excolendam, non eo modo accipias uelim, quo iureconsulti putauerunt, leges scilicet arbitrio principum latas, ut homines perimant, aut fodiant aurum: sed eam dico, quæ diuino quodam fonte profluxit, diuinarum humanarumque rerum moderatrix & fautrix, & quæ principes cogat in primis. Nam si sibimetipsis indulgeant, si lædant, rapiant, uiolent, fallant, quid est quod alijs leges exhibeant, nisi deorum hominumque illusio ac deceptio? Iniustum iustitiam pręcipere, monstrum est, sicuti & cæcum stellas ostendere, quas non uidet. Reges ob eam rem creatos accepimus, ut se bene primùm, inde alios regant. Hi tum seniores ex populo fuere, qui saperent, qui uoluptate carerent. unde id est, ut & nunc quoque seniores, qui cæteris præsint, uulgo nominetur. Decet enim se metiri primùm Reges, & ea præcipere, quę sui moris sint. Debent & quidem iusti esse. quod si se-

cus

cus quiſpiam fecerit, tyrannum ſe, non regem profitebitur. Viue.

Orpiano. 61

ORpiane, ſi tibi naſum reſtitui uis, ad me ueni. Profectò res eſt apud homines mira. Brancha Siculus, ingenio uir egregio, didicit nares inſerere, quas uel de brachio reficit, uel de ſeruis mutuatas impingit. Hoc ubi uidi, decreui ad te ſcribere, nihil exiſtimans charius eſſe poſſe. Quòd ſi ueneris, ſcito te domum cum grandi quantumuis naſo rediturum. Vola.

Sorano. 62

VIs me tibi literis nũciare, quid de cõciliatione tua cũ Lino Sergio uideatur? E`ſpe, Sorane, in timorẽ te conijcis. Amicum´ne futurum exiſtimas, qui à te læſus ſit, & quem dudum tibi inimicum acerrimũ cognouiſti? Laudarẽ, ſi parib⁹ iniretur amicitia: ſed tu, quòd in eius poteſtatẽ deuenias, nõ laudo. Fortunę tutius puto te cõmittere, quàm hoſti dedere. Neue ob fidẽ ſperes: cauſam inueniet denuò, qua te faciat miſerum. Time.

Hiaraco.

Hiaraco. 63

LIberalitatem laudas: bonam de te mihi ſpem polliceor, Hiarace, magnum futurum ſcito. Nam ut in paupere largitas uicium eſt, ita in diuite nimia parſimonia. Fortuna principes, nó rerum cuſtodes, ſed diſpenſatores fecit. Amicus illi fieri uis, dona. Illis autem donato, quos tuos facere uolueris. Debebis & quidem omnes uelle, ſed eos in primis, quos uirtuti proximos noſti: & quibus iuuari te, ſi quando opus fuerit, poſſe intelligis. Nam cornicini dare, aut hiſtrioni, dementia eſt: cum & id quod des, perdas, & tibi neminem pares. Nec te falſa gloriæ uincat opinio, quæ plurimos ſolet, ut palàm uentilere. Quippe illi precio laudare malos etiam conſueuerunt. Viue.

Furiano. 64

SOleo tecum, Furiane, modò literis iocari, modò uerbis: uti cum cæteris ſocio quos deamo. Sed rerũ omnium difficillimum puto, naturam poſſe hominis immutari. Tu quia triſtis adeò natus es,

blandi-

blanditiás non amas, iocos non quæris. Credo tibi deos omnes in genitura fuiſſe iratos, & ut mœſti aliquid ederent, quod omni ex parte deſiperet, congemuiſſe. Tu Furiane tua fata exequere: nihil enim impedio. Et ut dijs ita uolentibus morē geras, continuè plora. Miſer.

Colotio. 65

COloti, ſi cœnare apud me hodie uis, diſce ſuem in primis edere ſalitum, ueteri decoctum mero. Perdices præterea non aſpernaberis, neq; ficedulas, quarum mihi ruri copia eſt. Salſamenta alia ne quære, præter uuam tuſam, maratro, allio, ac pipere addito. Hoc enim toſtis rebus optimum eſt ſalſamentū, quo maximè utor, dum non maturuerit uua. Allium quidem non nudo, ſed parum tundo: nam in cortice ſapor eſt longè maior. Vini mihi ſunt genera duo, quæ neque Cæcubo, neque Maſsico cedant. Po..a, quæ tu tibi deliges manu: hæc à me tibi parata inuenies. Tu libellos aliquos tecum defer, quos ſaturi legamus ad ſobrietatem. Veni.

Frontino. 66

CVpio ſcire, quid de me tibi Frontine perſuadeas:amem'ne te, an habeam odio, cum tua iſta moleſtia & loquacitate. Primum non uis, alterum non noui. Denique ita mihi habitus es, ueluti non fuiſſes natus.Patere me,inquis. Aſt ego tibi,Me patere.Sic ſum ego:ſic neq; deſinam eſſe, donec uel tu mei ſimilis factus ſis,uel ego tui. Ceſſa.

Furiano. 67

QValem futuram exiſtimem teneram adhuc puellam,quę tibi nupſerit,Furiane,me iubes dicere. Neſcio: tu ſolus experiere.uerùm quidem à me ſic habeto. Neque ferro neq; ratione inſaniam uincere potis es, neque uxorem minis aut baculo. Furiane deos roga, ut bona tibi nata ſit quam hodie ducis. Nam & natam facere tum bonam poteris, cum deſtruas artifex,ac denuò tuo more facias mulierem. Credas.

Hiaraco. 68

QVam tu dediſti tunicam Peribono, purpura & auro contextam, Romæ

uendidit,

uēdidit, Hiarace. Eam, quia nemini cō-
gruebat, ꝙ hiſtrio uēderet, meretrices
emerūt. Vide, quàm rectius Oratio do-
nauiſſes, qui legatione plurima functus,
de largitione fateretur: neque tam citò
datum periјſſet, & te uiri clariſsimi ce-
lebrarēt. Quod equidem tibi gloriæ da-
rem, ni tu pluris æſtimares, hiſtrionum
turba leuiſsima, quàm poëtarum nobi-
liſsimo cœtu collaudari. Viue.

Sauiano. 69

CONuiuia, Sauiane, cum negocia non
ſint, recreandi demulcendique ani-
mi gratia ſi fiant, facilè fero. Non ea ta-
men ad uoluptatem, ut bibendi loquen
dique licentia palàm ſit. Latet enim in
his quæ conuiuij ſunt, haud exiguum
uenenum. Neque ego nunc accuſo, quæ
nobis à natura data ſunt, ut fruſtra data
eſſe uideātur: ſed ea quidem ratione ho
mini data, ratione ferenda ſunt. Vinum
parcè ſi biberis, hilarem facies animam,
corpus uirioſum, acues ingenium: ſi iu-
ſto plus, aliquātiſper, religioſum, piū, cle
mentem te facies: ſupra uerò id, furio-

O o ſum,

ſum, dementem, ferum. Vides una bonum ac malum ab re proficiſci? Neque mirum, uarios eadem cauſa effectus gigni: ſicuti ſole grandines & procreari & ſolui, contrà uerò lachrymas & dolore & lætitia fluere. Sed de cōuiuio ſit oratio. index id hominum uitæ eſt, uitiorum ſemita, luxuriæ fomes, origo perfidiæ. Conuiuia quidem eorum ſunt, qui ad ſcelera ipſa uiam & irritamenta quęrunt. Sapientes autem ita uiuere oportet, ut non niſi ſapientes uideri cuipiam poſsint, Sauiane. Scito.

Hiaraco. 70

Diuitias ego, Hiarace, neq; cupio maximas: neque ſi mihi darētur, medius fidius aſpernarer. Nam illud auariſsimi eſſe, hoc puſillanimi uitiū puto. Neque ego is ſum, qui opibus credam uirtutes impediri, aut ſuggeri uitia, ſi uiro bono, & rerum non cupido gubernentur. Nam hæ quoque cum hominibus inter malum bonumq́ue mediæ ſunt. & quaſi earum rerum inſtrumenta homini data, ad alterutram uiam capeſſendam.

dam. Quæ si quis rectè ita, ut decet, utatur, conducunt: si malè, non earum culpa, sed malè utentis nocent. Quis, nisi uesanus aliquis, ignem accusabit, quòd urbes, quòd segetes, quòd uineta deurat? quando ad id negotij datus sit, ut epulas coquat, tenebras fuget, uitæ auxilietur. Sic diuitiæ sunt uirtutum adiumenta sapienti, stulto uerò non nisi uitę exitium. Viue.

Sipontino. 71

ARgita mihi est omnium amicissimus. Quid illi à te fieri uelim, intelligis, si me Sipontine cognouisti: qui neminem tuorum uideam, quin subitò recipiam in necessitudinem, ac primùm omnium habeam cõmendatum. Viue.

Forbiano. 72

FOrtunæ tribuito Forbiane, quòd diues ex inope factus sis. Nam quod uirtuti tribuas, nihil uideo: nisi tu uirtutem existimes assentari, fallere, mentiri, rapere, lenonem esse: quæ te ditem fecere, & quibus te clarũ putare maximè potes. Nam si uirtuti opes darẽtur, alios

uideres esse diuites, quos non uides: tu autem Forbiane mendicares, Peri.

Hiaraco. 73

POetas scribere solitos audiuisti, Midam regem ditissimum, longas auriculas habuisse, idque sibi satis obtigisse, ut quicquid tangeret, in aurum uerteretur. Credas Hiarace, Poetas graues res uelamento quodam scripsisse, ut iocari uiderentur: uerùm omnia grauiter ad doctrinā protulisse sapientes: quod stulti malè deprehendētes, fatuos Poetas appellauerunt. Id enim dicere nisi sunt, Reges omnibus aures præbere, ut multa à multis excerpant, oportere: unde thesauros crescere, ac uerti in aurum omnia faterentur. Quod hi, si nullas habeant aures, & alienis potius uti uelint, se pauperes, alios diuites facient, & reges, Hiarace. Credas.

Forbiano. 74

NOn putas Forbiane, maiori tibi gloriæ fore, quæ histrionibus donas, si militi aut literato saltem homini dares? Ille te, quia uel in pugna protegeret, uel

in uulnera sequeretur: hic autem, quia literis faceret immortalem? Verùm dices: Iaciendæ diuitiæ sunt. Ignosco stultitiæ, si ea gratia feceris, ut iacta esse tatearis, quę talibus dentur. Sed altero dũ caues præcipitio, ruis in alterum. Non enim iacienda sunt, quæ prodesse aliquã do posſint. Stulte.

Soricino. 75

VElim mihi Soricine ostendas, unde tuam hanc habeas nobilitatem, qua te cæteros antecellere prædicas, & me iam penè reddideris surdum: ista iactantia proauos narras, & tritauorum longam progeniem. Hęc ego etsi nescio, nõ tamen audeo inficiari. Verùm ea satis sint. ad te ueni: quippe hoc hæreditariũ esse, Soricine, non potest. Diuitias non habes, quæ nobilitatis adiumenta sunt. Mores tibi à uirtute alieni, factum denique nullum præclarum, quo te efferas. Quid igitur erit, quod te redimat, Soricine? Putas, ad nobilitatem quòd nasci ex optimis parentibus satis sit? Erras. Animi est, sicuti sapiẽtia, nobilitas. In hęredem

redem duo hæc transire non possunt. Vestigia tantummodo parentum ad uirtutem euntium, & gloriam intuemur, quæ nobilitatem gignunt. Si nos aliò tendimus, frustra quidem opinionem hanc arripimus nobilitatis. Quanto igitur uiris præstantioribus nati sumus, tanto degeneres magis existimandi, si non ijsdem moribus atque ingenio utamur, quibus parta illis nobilitas est. Cætera quidem animantia forma inter se differunt, homines autem una facie Natura formauit: neque alteri lanam, alteri plumas dedit, qui dissimiles forent. Illa etenim, quantum uirium cuique est, tanti singula æstimantur sicuti quantum est in homine uirtutis. Fatue.

Hiaraco. 76

Datum profectò est à dijs, Hiaraee, ut omnibus gentibus gratus sis. Romæ Pontifex maximus, quàm te magnificè tractauit? à quo præter cætera beneuolentiæ signa, rosa aurea, atque insigni ense donatus abieris. Quod nulli unquam principi contigit, ut ijsdem muneribus

neribus unà donaretur. Prętereo Ethru ſcos omnes, qui te Deum confitentur. Tranſapenninis quàm mirabilis uiſus es? qui in tantula ætate tantum profeceris, ut uiſus ſis in dicendo ſenibus comparandus. Et cum uix tertiumdecimum annum attigeris, ita te inſtituiſti, ut nemo melius ſaltet, cantet dulcius, ſuauius perſonet, equitet comptius, pulchrius dimicet: quæ te profectò in tantam hominum gratiam adduxere. Sed in primis mãſuetudo iſta tua ſingulos allicit, atque attrahit ad beneuolentiam. Tu tibi hunc capiendorum hominum modũ ſeruato, ſi ſapis Hiarace, ut ſi quando opus ſit, habeas, quibus uti, quibus'ue imperare etiam poſsis. Viuę.

Martiano. 77

LVcium Simeonem, fratris tui filium, & ſi nullas à te literas detulit, habui commendatum. Tantum enim ualet apud me dignitas tua, & beneuolentia, ut quemcunque tuorum uiderim, exiſtimem meum eſſe. Ego illum ſubitò ad Hiaracum duxi, & quæ poſtulauit, ro-

gāte me,omnia impetrauit ita facilè, ut à te patruo uiderentur impetrata. Tu igitur,qui me cognouisti, utere, si uelis. Quod si negaueris uelle meritò, Martiane,faciam cōiecturam, te mihi amplius non esse utendum. Crede.

Rutilio. 78

IVbeo te, Rutili, Boemiam petere, qui dies noctesque dormias: ubi desidiæ præmia posita,& nomen pro uictoria celeberrimum.Ferunt à Rege nouum hominum ordinem institutum,qui ętatem omnem in cubilibus degant,eosque regios desides nominatos. Electi primùm, qui sese ultro ei supplicio addixerint: quorum mos est,uel dormire perpetuò, uel saltem cubare, neq; quicquam pręter linguam aut oculos habere quibus imperent: ut neque pedem mouere, neque manum, nisi adiuti, posśint, neque ceruicem flectere, aut in alterum latus declinare. Cibantur autem delicatisśimis epulis, abundeque uictitant, adhibitis qui eos diligentisśimè curent.Nulla unquam aut surgendi aut abeundi licentia

centia, dum uiuant. Horum autem, qui dormiendo cæteros ſuperaret, principẽ deſidiæ nominauerunt. Tu autem Rutili ſi affueris, ſcito te principem collegij perpetuum futurum. Vola.

Hiaraco. 79

MIſſus à te, Hiarace, Hydruntum ueni, ac primùm omniũ eius urbis prætorem in ius uocari iuſsi. Vbi de illius uita quærere cœpi, alij uirum ſupplicio afſici, alij in exilium mitti, alij ſibi in poteſtatẽ dari poſtulabãt. Quod ut uidi, cœpi omnia credere, quæ legati dictitarãt. Vbi uerò ad rem uentum eſt, comperi nihil aliud, niſi maleuolentiam quandã, uulgi opinione acquiſitam, eius urbis: quòd inter confabulãdum, mulieres omnes meretrices dixerit, rerum inſciam plebem, ſacerdotes malos. Aiunt hi ſuas uxores eiuſmodi nõ eſſe, maris ſe ac terræ conſcios ſatis: ſacerdotes ſibi eſſe omniũ optimos: mulctari uel capitis pœna, ſi ſecus quiſpiam ſenſerit, oportere. Aſt ego nihil opus eſſe iudicio ratus, ut uirum ſapientem ſemibeluis eriperem,

maledicum hominem ad te pollicitus ſum me ducturū, quem pro his maledictis meritæ cruci affigas. Itaq; illum adduco, ſimul & libellos defero coniecti in eum criminis: quos cum legeris, homines ridebis, ac uirum talem muniſcentiſsimè donatum dimittes. Viue.

Hiaraco. 80

CApillum tibi eſſe, Hiarace, ad oculos uſque protenſum, non laudo: neque his, qui laudant, auſcultare te. Quippe hi ſuorum more leuiſsimo uſi, quo deformiores fiant, nates detegunt, atque operiunt frontem, hominis partem cęteris liberiorem. Tu ſi meo iudicio uti ue lis, frōtem detege: ueſtē uerò ad pedes uſque protéde, ut cultior, ut honeſtior, ut denique ſapientior uideare. Viue.

Hiaraco. 81

PAtere me Hiarace, ſi quippiam tibi aut ſcripſero unquam, aut fortaſſe dixero, præter opinionem. Licere mihi æquum eſt omnia de te dicere, qui plus uideam, ac ſapiam magis: neque iniuria, qui ante te natus ſim annis circiter uiginti,

ginti; quique tibi ob eam rem maximè datus ſim, ut habeas qui te moneat, increpet, aduerſetur. Principes ne crede naſci omni ex parte bene compoſitos. Natura te hominem genuit: Fortuna diuitem fecit, & Regem. Verùm hæ ſapientiam cultumque corporis dare non potuere, quę cum ętate ſimul ac pręceptore uenire conſueuerunt. Et ſi tu hac tenera ętate ſapias ſatis, aliorum tamen iudicio fari ſatius eſt, quàm tibi ſoli credere: eorum dico, qui te ad uirtutem, nõ ad perniciem incitarint. Viue.

Solimeno. 82

HIc, quem uides hominẽ, meus eſt. Virtutem colit, doctos amat, medicum ſe fieri uult. Eum tibi ſummopere commendo: atque oro, ut talis erga eum ſis, qualis erga meos eſſe conſueuiſti. Viue.

Colli. 83

INuitas me quotidie deambulatum, Colle, demulcendi recreandiq; animi gratia: ut negocijs interdũ exuti, ſermone uario, locorumq ue mutatione diem trãſigamus. Equidem tibi in ea re morẽ

gererem,

gererem, ni tu obuio cuique haberes quod dictitares, quasi omniū in te negocia & consilia sint solo sita. Iube obsecro mihi sellam deferri, ut saltem sedeā, quotiens tu aut monere, aut consulere, aut narrare aliquid cœperis, aut exordiri. Nam pedibus stare difficile est: meque post id rectius sessum, quàm deambulatum Colle inuitabis. Vale.

Solimeno. 84

PEr immortales ego te deos oro, Solimene, medicorum disertissime, qui corpori simul atque animo mederi primus comperisti, ut languenti Furiano u ostendas, quid facto sit opus ad tristiciā hanc eijciendam: qui neque unquam ridet, neque loquitur unquam, neque alicui gratulatur. Quod si effeceris, fatebimur à te nobis hominem restitutum, ue luti iactante, ut aiunt, Deucalione lapidem animatum. Viue.

Hiaraco. 85

NEmini uoluisse me unquam parére, ni tibi, relicta domo ac familia, puer Hiarace, ne mirere. Ita enim uiuere oportebat

portebat eum, qui securam ætatem agere, ac lædere neminem instituerat. Principib. æquè ac populis charus esse haud facilè poterit, qui rem principum curet, cum dispari animo ac sententia uiuant. Aliorum quidem accipere est: aliorum, quantum liceat, nolle tribuere. Quod si reges eo animo essent, quali te futurum Hiarace spero, ut suo uterentur, alieno penitus abstinerent: fœlices hominum rectores, & qui regerentur, fœlicissimos existimarem. medios autem, utrique parti gratissimos. Viue.

Foronico. 86

NOn possum de te, Foronice, nõ queri, qui Varronem mihi neque neges, neque restituas. Ego tibi olim petenti si non commodassem, iurè argui poteram, quòd amicitiæ officia uiolassem. Tu modò qui repetẽti non reddas, uide quàm meritò uenias accusandus. Quòd si sic agere perseueraueris, nihil à me aliud expectato, nisi ut te quamprimùm domi offenderim, nudum eijciam, uel surdas apud me posthac inuenias fores. Scito.

Hiarace

dissimiles uerò eorum, quos nõ ament? Tu te alium exhibebis Hiarace, cum uir fueris: ut habeant docti, quem maximum omnium laudent, non scurrilibus uerbis aut histrionicis, sed scriptis, ut assolent, & monumentis, quibus perpetuus fias. Viue.

Floro. 89

TArentum urbs altera parte mari, altera lacu alluitur, in quem Galesus fluuiorũ breuissimus fluit. Verùm & is mari uicissim congrediens, immiscetur: ideoq; abaccolis p̃ amarore simili, Mare appellatur, cuius ambitus passuũ milib. duodecim constat. Quod si fretum con fitebimur esse, tendit initiò ad Orientem, mox ad Meridiem declinat: relinquiturque inter duo maria telluris paululum, bouinæ linguę ad imaginem, quà ciuium domicilia posita sunt. Vrbem ipsam inter geminas aquas, longæ nauis in effigiem editam, urbium penè omniũ amœnissimam puto, & iucundissimam, nisi quantum copia rerum ciuibus egestati est, pro desidia & inertia. Hic uini,

salis,

salis, olei, pomorum abunde, pisciũ plus quàm sat est. Croci, amygdalorum quoque satis, puellarum ad fastidium. Quieti locus aptissimus, ac lõgè remotus ab his, quas duxi esse molestias, rebus. Id uolui scire te, ut qui oculis egregiam urbem non uideris, animo uideas. Viue.

Foronico. 90

NAturam incusas Foronice, quòd uiliora quæque, densissima, rarissima uerò, cariora contulerit. Quo fit, ut longè plus lapidum, quàm margaritarum habeamus. Neque intelligis eam, quam dicis, Naturam, uitæ hominum quæ magis necessaria esse duxit, maiorẽ copiã dedisse: parcè uerò, quę nõ usui opportuna, sed uoluptati forent. Vnde id fieri existimato, plus olei datũ esse quàm mellis, aquarum plus quàm uini, salis quàm piperis: item auri minus quàm ferri aut æris, serici quàm lanę aut lini etiam minus. Quare illud facilè adduci potest, Sapienti chariores esse res debere, quæ ad usum, quàm quæ ad uoluptatem tribuantur. Sile.

Hiaraco-

Hiaraco. 91

PAruimus, Hiarace, ubi te nouarum rerum cupidum uidemus, & reconditarum opum satis industrium indagatorem. Itaque totam penè noctem sine somnio transegimus. ubi uerò eò uentū est, quò ducebamur, is cui aurum fuerit per quietem ostensum in templo Sophiæ Tarentinæ, primùm nos mönere occœpit, ne quid trepidaremus, neúe aliter quàm forti animo essemus tanquā cum hoste congressuri. Inde inuestigandi thesauri signa prædicere, solum aridū & durissimum, mox silices, ac deinde lapideas tabulas duas: postremò arcam marmoream, auro fœtam. His uerbis læti, aram unam, deinde alteram euertimus, tertiam iam aggressi magno impetu sumus. Verùm neque comperimus quicquam adhuc, neque speramus comperire: cum nihil horum, quæ dixerit, inueniamus. Ostendit res ipsa, id somniū uerè fuisse, ac nos dementia fatui hominis delusos. Ego somniatorem ipsum, quo loco minimè aurum compertum

est, si tu sineres, uiuum sepelire, ne posthac amplius quisquam somniare thesauros consuesceret. Viue.

Hiaraco. 92

REdiuimus, Hiarace, sine auro & argento, nihilq; domum retulimus, præter hyemem, & soporem. Neque uerò is qui somniauerat thesaurum uidere in templo Sophiæ reconditum, mentitus est. Verùm id somnium coniectore indigebat, qui ostenderet thesaurum eum neque manibus, neque ferro effodi posse. Illud enim te, Hiarace, somnium admonebat, diuitias & thesauros in sapientia esse. Græci enim Sophiam, quā nos sapientiā dicimus, appellauerunt. Vide modò, quàm rudes fuerimus, qui Sapientiam sub terris quæritabamus: non deprehẽdentes claram deorum ostentationem, qui tibi thesauros quærenti Sapientiam ostenderent, omni auro atq; argento præstantiorem. Viue.

Hiaraco. 93

IOcabar, Hiarace, cum dixi debere eū cum anima sepeliri, quo monstrante aurum

aurũ non cõperimus. Nosti enim quàm mitis sim: nosti, quàm pius, ut ne quidẽ Sorici cupiã mortẽ, & ut tibi semper ante oculos pietatẽ ac iustitiã ponã: etsi alterã alteri aduersantẽ putant. Ego alterã ab altera nasci, atq; in eandẽ fluere cẽseo. Nã quod iustũ sit, id piũ esse nemo sapiens negabit: si iustitiam esse, non seueritatem illam puniendi, sed communis boni cupiditatem putet: neque eam in necandis hominibus, sed in seruãdis, monẽdisq; & placandis exerceat. Quippe Deorum imaginem delere, ac rerum dominatorem hominem nosmetipsos, ut ita dixerim, ferro necare, aut præcipitare in lacum, aut cruci dedere, quid inhumanius, aut turpius, aut miserum magis? Furem satis est restituisse quod rapuerit, ac fuste cædi: homicidam uerò, seruum eius fieri, quem læserit. Quod si ea lege terreri malos minimè putauerimus, quare delictis abstineant, ad metallum, ad triremes, & cętera huiusmodi supplicia dãnare satius est, quàm omnino deperdere. Viue.

Collo. 94

NE tibi quoque dictum id esse existimes, Colle. quod Furiano de uxore iam dudum scripsi. Tibi enim uiduam donam uirginem comperire huic ætati idoneam, difficilimum puto, qui annum iam tertium & quadragesimum præterieris. Neue te opinione decipias ut eundem putes esse modò, qui olim fueris, adolescentem: nec placere te inuicem, uti tibi, quam cupias, placet. Aetatem in primis consimilem puellæ de amant, formam expetunt. Si qua uerò s ni nupserit, uel deformi, scito rebus mu lierem, non uiro maritari. Neque ego affirmo pares esse coniuges ætate debere. Virum præstare opus est annis pro æquitate decem, ut unà caleant, ac desinant unà. Tu te metiare, priusquam incipias, Colle. Et quis modò sis, & quantum ualeas, & qualem te futurum breuē atque illam existimes, uide: cum alterī uires extingui, alteri flammam crescere certus sis. Cogita.

Cynico-

640

Cynico. 95

INuideo tibi, Cynice, ac per Deum iudico ſapientem, qui neq; famulum uelis, cui ſæpius iraſcare: neque uxorem, cum qua litiges: neque bouem, aut aſinum, quorum habeas curam. Solus cubas, ſolus cœnas, ſolú te tua cynica cella dies noctesque habet. Lautè politeq; iactitas, nulli imperans, nulli parens. Quodcunque in animo eſt, id demum ſubitò eſt in manu. Deum profectò te eſtimo: ſi Dei unquã uideri, aut fieri mortales conſueuerunt. Viue.

Hiaraco. 96

ACcipitres iſtos, Hiarace, quibus delectaris tui gratia fero: uerùm aliquos, ſi patiare, non laudo. Nam qui nunquã redire, niſi iacta gallina, conſueuerunt, neque in aliud quicquam ſæuire, necandos puto, tanquam deſides & ignauos. neque uerò & omnes qui prædam ſequuntur, commendo. Eos quidem effero, qui pro gallina leporem reddere, aut anſerem potuerunt, aut phaſianum non enim miluum, aut cuculum, aut bubo-

nem, quorumcommutatio peſsima eſt. Tu tamen Hiarace, non prædam ipſam, ſed belli uoluptatem requiris, atq; animos laudas, utq; tu eſſe in hoſtes uiolétiſsimos inſtitueris, ſic tibi eſſe uiolentos in omne auium genus accipitres cupis. Viue.

Heliodoro. 97

SApienter agis Heliodore, qui uxor locupletem ac nobilem, ætate prouectam, neges te ducturum. Quod ſi alite: feciſſes, diuitiæ, nó uxor ducebatur: & ſtimulus domũ, nó opes ueherẽtur. Di ſpliceréne oportet eam tibi, cũ qua diu uiuas, loquaris, uigiles, dormias? Quænam homini ulli pœna excogitari maior potuiſſet, quàm utperpetuò mœſtus fieres? Diuitiæ profectò, ſi quicquã moleſtię afferãt, exigẽdę: ſi ad iucunditaté ueniant, admittendæ ſunt. Nunc ego te ſapienté iudico, Heliodore, qui nõ aurũ, ſed mulierem quęris. Verùm ſi potis ſit, tenerã ducas, ętati tuę ſimilé, minori dote: ſed quæ diem uultu, non tenebras ferat. Et quæ, ſi unquã tibi faſtidio eſſe

cœperit,

cœperit, post aliquot dies repetita, possit iterũ non deformis placere. Sapis.

Hiaraco. 98

NIl profuit, Hiarace, monuisse te, ne insomnia Tarentinorum curares. Audisti moris esse unquam macris scrofis glandes somniare? Tarẽtinis, sua culpa, omnium pauperrimis, quid diuitijs amplius exoptari queat: si eas dormientes uiderint, nos quæsitũ ire, sapientia est? Oportebat puellæ inutili credere, quæ dotẽ sibi sub terra esse somniasset? Nosti enim, quàm durus ad flectendum sim, ut non quę per quietem modò, sed quæ per uigilias etiam uisa sint, non credam, nisi uiderim ipse, ac tetigerim manu. Verùm iussui tuo non parere, fas nõ erat. Abij noctem quęsitum asperam, astui. Collem, qui uersus urbem est, effodimus penè usq; ad mare: comperimus laboris satis; auri uerò quantum musca peperisset. Viue.

Tarentinis. 99

DEsinite amplius somniare thesauros Tarentini: & quid uos superi mo-

neant, intelligite. Senem ferunt olim, uirum sapientem, cui filius erat inutilis, & morosior, ita testamento scripsisse: Hæres meus scito mihi esse in uinea thesaurum reconditum inter uites: si compererit, suus esto. Cuius rei auidus adolescens, euestigiò fodere cœpit, & solum omne rastris euertere. Qua ex re uites meliores fieri, ac uini plus satis afferre cœperunt, unde illi aurum haberi cœptum est. Intellexit demũ, thesaurũ eum esse à patre relictũ in uinearum cultura. Vobis autem, qui omnem ætatem piscaturæ addixistis, rei frumentariæ inopes dij in effodienda terra, non in capiendis pisciculis esse ostẽdunt. Fatui seminate.

Celiano. 100

CVm Collum reuiso, nostri ordinis hominem, didici, quam nunquam antẽ hac audiuerã, fabellam. Ita uir ille industrius, dum legeret pueros alliciebat. Pactum canibus aiebat esse olim cum dominis, ne unquam inutiles facti domo eijcerentur. atque ex ea re scriptos codicillos, eosque contubernalibus catis,

qui

qui domo manerent, seruandos dedisse. Illi tutiorem locum nuspiam arbitrati, summis asseribus commisere. hos demum compertos rosere inscij mures, ac disciderũt. Repetentibus igitur canibus derosas tabellas, cati obtulere. Quamobrem irati illi, dolo atque inuidia factum id esse suspicantes, pœnas reposcunt: iuratumque est in perpetuam cædem. Ea res odium catis peperit in noxios mures, quòd ipsi spretæ amicitiæ causam dedissent: exortaque inimicitia est, nunquam amplius desitura. Iocosa profectò res, & faceto homine digna, quam te non ignorare uolui, Celiane: ut cum sæuiẽtes in catos uideris canes, aut illos in sorices, facti memor, habeas quod possis ridere. Viue.

Hiaracolotio. 101

ARmatum uidere Forbianũ quis possit pati, equo insidentem feroci, hastam cruri admouentẽ, ueluti cum hoste congressurum? Papę totus in auro est, totus fremens, totus ferox. Terribilis, ni medio cursu ad terrã corruisset. Vides?

Mario. 210

FIlios tibi esse rerum omnium charissimos scio:neq; iniuria, cum teipsum diligas, quando liberos amas. Patris imago est filius, & exemplar filij pater. Verùm ne illis nimium clemens sis uide, ne'ue nimium indulgeas, matris more. Nascuntur enim fatui, neque multum à feris dissentiunt: nisi doctrina erudiantur, eius similes fiunt, quem rudis natura produceret. Sed in primis Deum uereri doceas, mox in parentes pios esse, ac in cæteros iustos, postremò sibi non inutiles. Quæ cum genitura non ueniunt, sed disciplina & tempore tandem accedunt. Fac te post exequias parentem fuisse dicant, à quo & uitam ipsam, & uiuendi modum habuisse testentur. Doce.

Soricino. 103

DIuitiæ, ad uirtutem scalæ, ad scelus omne ac perniciem gradus. Si eo modo gubernentur, ut conducant, habendæ: si uerò officiant, abijciendæ sunt. Ne querere igitur, amisisse te facultates,

cultates, quibus malè utebaris, & quæ te tanquam in mare præcipitassent. Earum mos est, quibus adhæserint, superbiam gignere: apud eos etiam relinquere, quos deseruerint. Ea quidem, si cum illis ueniat, formidanda est: si sine illis, Soricine, ridenda. Tu igitur ne apud te relicta sit, uide, cum res dimiseris. satius enim foret, si sine illa domi tibi opes mansissent. Stulte.

Hiaraco. 104

SI me lapidem Natura fecisset, aut truncum, neque cuperem aliquid, neque quicquam, Hiarace, postularem: uerùm quia hominem genuit, quæ sint hominis, quærere haud iniuria est. Quam ob rem id dictum sit, potes intelligere. Domum Tarenti nõ habeo, neque uineas, neque agros: si dederis, facies humanissimè. Quod si tacuero maximè, id me maximè postulare intelligas. Viue.

Arcelio. 105

LAudas Arceli epistolas meas, ego quoq; ingenium tuum laudo. non ut tibi referam gratiam, sed quia neminem

uideo

uideo Neapolitanorum, quem tibi præponere audeam, hac tempestate. Atque id maximè miror, quod à puero & uxoriæ rei & literis operam pupillus dederis, neque unquã familiæ inutilis, neq; studiorum aliquando oblitus. Denique studuisti, ut sicuti genere, ita rerum sciẽtia clarus fores. Quæ duo quantum inter se diuisa contendunt, tantum simul iuncta bene conueniunt, & elucent magis. Viue.

Hiaraco. 106

VEni ad Annam Columniam Tarẽtinam, tuo & Regis iussu. Nunquam uidi tanti corporis mulierem. Ea domum penè omnem sedens complebat ita, ut stante, mihi locus deesset ad dicendum. Os magnum, oculi, ut boũ putares. Grãdia membra omnia, suprà quàm credibile est, & uox leænę. Cumq; literas illi, regia manu scriptas, reddidissem, legit, ac gratias egit scriptori, qui tam blandã ac conditam epistolam dedisset. Pòst, collecta paulũ ueste, ac sella posita, me sedere iussit, & si qua superessent, dicere. Sedi,

re. Sedi, dixi. Audiuit, respondit. Sũma est, se iniussu Regis non abiturã. Verùm signa fugæ sunt, lectica ante fores, nauis in portu Brundusino parata, comites in equis, per domum soliciti cliẽtes. Quid ultra? Me detinet, tibi ne renunciẽ. Quare his literis scias, uelim, ut si quid facto opus sit, habeas, ecquid cogitandi tempus, & disturbandi. Viue.

Hiaraco. 107

Diluculo mulier abijt, Hiarace. Puellas secum duxit quatuordecim equites sexaginta, aureorum milia decẽ fert. Supellectilem reliquit, iter facit uersus Saletum oppidum. Scito.

Cornelio. 108

Conuiuam te scio esse hodie Cassieni: si sapis, disceptandi te, non edendi gratia uocari existimato. Quãobrem cauendum, ne in conuiuio faciem mutes: néue aliter, quàm cœperis, loquare. Turpe est enim, alium manè, post epulas alium uideri. Et qui seuerus modò existimatus, haberi leuis incipies. Domi habeas quod manduces, bibásue, ubi nemini

mini responsurus sis, neminem de re dubia rogaturus. Neque uino solum abstinendum in conuicio disceptantium est. Quippe ingenium cibo etiam nimio hebescere, & obtundi, si aduerteris Corneli, non negabis. Audi.

Solimeno. 109

CRas te mihi adesse cupio, Solimene languentem ut cures. Aut cessa, au propera. Quod si cessaris, scito tibi Calentium defuturum. Vola.

Arachino. 110

ERudi liberos Arachine, priusquar pueri esse desinant. Erudi liberos, siue ad liberalium artium aliquam, siue ad mechanicas accommodaueris, ne fortè accusandus de malè morata sobole uenias. Nam si discendi tempus abierit, ubi aliter uiuere nequeant, ad furta, ad cædes, ad rapinas, ac cætera huiuscemodi crimina se dedent. Tu uerò siue inter agendum, siue inter soluendum pœnas, culpabere. Quòd si senties, serò te ac frustra accusabis. Crede.

Hiaraco-

Hiaraco. 111

HAbet satellitem Forbianus, hominem facetum, ac tali uiro dignum, quem irrideat. Nam præter cætera eius & dicta & facta, digna memoratu, quotiens eum Dominus, suo more, asinum uocat: At tu leo, inquit, es Forbiane, quasi hominem magni faciens. Mox ad cæteros conuersus, sic quoque ait: Belua est, ueluti asinus, leo. Sic uir callidus hominem ridet, ac ridendum cæteris præbet Forbianum. Viue.

Hiaraco. 112

VIrtutum genera duo esse dixerunt; alterum corporis, alterum quod animi uocant. Nam musicum esse quempiam, aut medicum, aut pictorem, cæteraque huiusmodi corporis ornamenta; inter uirtutes numerauerunt. Verùm ea uirtus propriè est, qua paßioni resistitur, ad frenandam ratione uoluntatem: ueluti castitate libidinem, uincere sæuitiã pietate, ac similia his. Ea est, quam fermè omnes cupiũt, & inuestigant neque inueniũt omnes, quoniã ea quę sit

non intelligunt. Multi enim reperisse se atque adeptos arbitrati, aberrarũt: eáq; ostendentes cæteris, ipsi non cognouerunt. Ego tibi hanc expetendam, Hiarace, moneo, quæ te principẽ faciet, atq; immortalem. Viue.

Forbiano. 113

TIbi luctum, Forbiane, perpetuum dico. Miserrime omnium future, no uides, quid tibi sit euenturum mali? Fortunæ credis, quæ nemini semper obsequens est. Aduerte quæso, quantum illa rerum uicissitudine gaudeat, utq; nih habeat firmi. Ea cum maximè lęta est mœstam futurá time. ludit enim, pariq; modo miseros ac felices ridet. Quę quáto altius euehit hominem, tanto maiorem casum minitatur. Geme.

Colotio. 114

VIsendi Cynici gratia, quem ægrotare audiueram, Neapolim ueni. Eoq; profectus, ubi accubabat, solum, ueluti cum alio loquentem audiui: ac tenui pedem, ut quæ eius esset oratio, intelligeré. Ille autẽ sic: Aeger sum, testari uolo.

Bona

Bona mea cui relinquã? Populo'ne? Minimè quidem, quia neq; in pace uulgus posſidebit, neq; diuidet concorditer. Regi? Nihil minus, quia militib' dabit, generi omnium peſsimo, & inhumano. Ergo pontifici. Satis abundè habet, unde podagras nutriat. Ergo præſulibus, ut tumidos uentres augeam. Rumpantur uiri turgidi: non uolo. Ergo ipſis ſacerdotibus? Nolo, quia ſcortis & lenonibus dabunt. At tu mendicis? Neq; id quidem, ne deſinant moleſti eſſe diuitibus. At tu piratis, ut in Aſiam deferant? Non uolo. Vin mulieribus? Nolo, quia deteriores diuitijs fiũt. Vin pueris? Nolo, quia perdẽt rem inſcitia, partam bene. Vin ſenibus? Minus, quia deliri, in omnes dies noctesq; iurgabunt. At tu dijs immortalibus dona. Stultum eſt dari tibi, quod deſpexeris: ſi uoluiſſent, nõ dimiſiſſent mihi. Da ſeruis, ut auferant. Id iniuſſu meo faciũt. Quid igitur? Nũc id cogito. Primum templa nõn ędifico, ne nouas lites ſacerdotibus creẽ. Orbas non marito: nẹ faſtiditi coniuges ſepul

ti ossa deuoueant. Pontes fluminibus non construo, ne cadens aliquis irascatur mihi. Claustra uirginibus non do, ne scorta his nutriam, qui Deum malè confitentur: neque mēdicis hospitium, ne desides illi, desidiores fiant. Ergo cui'nam tu rem deferis tuam? Nemini. Tibi, Fortuna, reddo, restituoq;, quę commiseras. Posteri ualete: Mors tu tu officium facito. Quod ubi audiui, ridē ad eum irrumpo, multaque hortatus ad ualetudinem, audisse me indico, quæ is dixerat. Ille autem mihi: Sum mentitus? Sum mali aliquid prolocutus? Nosti homines, & nostrę ętatis mores: nihil ulli, nisi ad uoluptatē fore: uideri se omnes bonos uelle, neminem bonum. Quem minimè putes, pessimus est: quo non putes, uicio laborat. Idq; adeò fit, quoniam Deum non credunt, quanquam confitentur. Futurum quid sit, prædicant, non uerentur: tanquam mendacia proferant, illudentes cęteris: sibi autem ita prouidentes, ut nihil ad bene beatē que uiuendum desit. Reges & Pontifi-

ces

ces unà sibi consuluisse, eoque redegisse rem, ut nefas sit interdum uera loqui: scelera pro uirtute haberi oportere: imperium quodcunque sit, ad religionem attinere: denique nihil esse nobis relictum, prçter patientiam. Cumque ultra euasurum hominem intelligerem, aliò traxi: ac de morte multa simul disseruimus, quæ longũ esset recẽsere. Viue.

Tiliano. 115

FOrmosam admodum mulierem Tiliane duxisti domum: neque parum, ut audio, diuitẽ. Fœlicitati tuæ mediusfidius gratulor. Verùm tibi longè nimium dispar ab Aristotele sententia est, qui pollicenti Alexandro puellarum & nobilium & locupletum optionem, parêre haud unquam uoluit, inquiens: Fugiendum malum esse, non admittendum. Vrgente autem senecta, uxorem duxit, humili loco natam, pusillo corpore, inopem, ac deformem. Affirmabat enim, monitum à se meminisse Alexandrum, si mali quidpiã admittẽdũ foret,

eius quàm minus potis esset, admitteretur. Mulieres autem malas quod omni ex parte putasset, quoniam pro familiaris rei opportunitate ducendã sibi uxorem decreuisset, omnium minimam delegit, ac pauperem, quòd deteriores fieri mulieres opibus existimaret. Tu autẽ tibi rem molestam ducere non intellexeras. nam neque tibi soli placebit uxor, neque solus amabere. Difficile est enim pudicam esse, quam multi solicitabunt. Stulte.

Hiaraco. 116

GRatias tibi me pro donata cane habiturum, ne credas Hiarace: utilius existimarẽ, si bouem aut asinum, qui rei adderet, donauisses. Viue.

Sipontino. 117

LAudo te, Sipontine, ac per Deum, iudico fortunatum, qui domum tibi ruri delegeris, amœnissimo quidem loco, & tutissimo, ubi neque uulgi lites audias, neque molestias patiare. Pulcherrimum profectò in uita, neminem timere: contrà uerò, miserius nihil est, neque

infœlicius

infœlicius quicquam. Non ego magnanimitatem in præsentia effero, sed eos commendo, qui uitam sibi eo modo instituerunt, ut nemini odio sint: & securi, ubi uoluerint, dormiant. Quod fieri posse intelligis, si populi primùm seditione abstinueris, adhæseris nemini uiolento, neminem læseris, aut tua culpa feceris inimicum. Accedit ad hoc, grande peculium non habere, ut fur aut tyrãnus formidolosus sit: uitam hilarem, supellectilem paruam, sed bene dispositã. Laudo agrũm domui uicinũ, qui & animi oblectamento, & quotidiano usui seruiat. Hic neque seruitium feres, neque insanientes principes uidebis, quorum mores arguas, & quibus odio habitus sis. Amant enim, quos sibi similes esse tantummodo cognouerunt. Sapis.

Hiaraco. 118

HAhahe, quàm pulchrè nouit omnia Forbianus, qui adductam sibi noctu meretricem pro nobili habuit, deditq; aureos uno concubitu quinquaginta. Mox Tarentinarum gloriabatur, no-

bilissimo scorto se potitum: habiturûm que, si uoluerit, minori precio cæteras. Qui rem sciuerant, ubi risu abstinere ne quiuerunt, iurare cœpit ita factum esse: ac futurum cæterum, si libuerit. Demú patefacta iam re, irrisus erubuit. Tarentinisq; ita illudentibus, ultorem se per Iouem cominatus est. Caueant.

Lauiano. 119

VEllem profectò, Lauiane, meam hác naturam posse immutari, & dimittere me hanc rerum bonarum uerecundiam, quam seueritatem putant, qui me nondum nouere. Pudet nescio qua causa, obuios quosque salutare, blandiri amicis, assentari, polliceri, eos etiam uocare atque alloqui, quos uiderim nunquam, trahere tam subitò in necessitudiné, laudare me palàm, libellos ostédere, impudenter postulare. Quæ omnia fieri ab his uideo, qui me hominũ gratia antecellunt. Verùm neq; mentiri un quã didici, neq; me magni facere. Erubescere auté, cũ me alij laudét, libellos lectitét, ingenio faueát, cósueui. Et cum

cæteris,

cæteris, quę ſcribam, non mala uiſa ſint, mihi quidem non placēt: ideoq; neque cuipiam legenda homini do, neq; recipio à quopiam hominum meritum. Nā laudare quempiam non poſſum, quí nō id ſanè promereatur. Amicos ſi quos habeo, mea cauſa nunquam amitto. Si me quiſpiam experiatur, dicet eſſe familiarem neminē magis, neminē fidei magis fautorem. Nam quod ſubitò partum eſt, ita recedere aſſueuit. Rarò autem deperit, quod maturè ac tardè nanciſcamur. Vides.

Saguntino. 120

CRas moriere, ut audio, Saguntine. Mortis quidem genus non didici, uerùm cras moriere. Neq; ioco id à me dictum exiſtimes, aut mentitum habes, qui te tua cauſa cenſeant inimicum, inſidias parent, exitium minitentur. Tu, ſi ſapis, deos roga, ut tui quàm maximam habeant curam. Nam te proculdubio cras moriturum dicunt, qui ſidera noſcere, ac ſomniare uera conſueuerunt. Caue.

Rufino. 121

DIfficilimum rerum omnium puto, bene uiuere:quod non in copia rerum, ſed in ordine ac ſolertia ſitum eſſe intelligo. Sæpe etenim magnis opibus malè ac negligenter uiuitur,paruis quidem bene ac læto animo ſæpe. Cupis, quo'nam modo id fiat, ediſcere? Opus eſt,te Regem domui tuæ præficere, familiam ordinare, ſupellectilem diſponere,ut ſuo quæque res loco ſita ſit,hoc modo. Hic ollæ primùm ſuus eſto, hic urceolo locus. hic clauibus, hic œnophoro, hic reſti & aqualiculo ſuus. Illic ſit gladius, illic paropſides. illic mortarium & piſtillus.Hic item argentum,hic æs,hic fictile.Illic frenum & calcaria. Illic calami & libelli. Vbi locata bene omnia ſunt,legem ferto,ne quiſpiam horum aliquid, niſi uſus gratia, moueat: quod ſi uſus poſtulet,perfecta iam re,loco locatum reddat, ni uapulet. Sontem uerò pœna ſequatur eueſtigiò, ne lex fruſtra lata uideatur. Negligentia enim & incuria res minuitur. Confunditur

autem

autem domus omnis rerum confusione, ac iactura. Vnde domi lites creberrimę, unde animi motus,& ægritudines. Quá to igitur res maior est, tanto maiori cura atque ordine gubernanda. Tu si mea sententia atque instituto uteris, aliorum molestias, lites, ac iacturas sæpisime irridebis. Viue.

Hiaraco. 122

RESpondere te in concione, aut ius dicere, sæpisime opus est, Hiarace. Neque hic minus gloriæ, aut decoris est, quàm in illa tua exoptata militia, qua dies noctesque defatigaris. Illic enim corporis uigor, atque in hostes fiducia maxima est: hic autem ingenij uis, & ad dicendum,& ad cogitandum, ut grauis, ut sapiens, ut princeps denique uideare. Neque in concione solum ea uerborum & sententiarum obseruatio cómoda est, quippe domestico publico'ue sermone, domi forisq; necessaria. Ne quid turpe unquam, aut uacuum proferatur, ne'ue in platea, quæ domus sint, aut in templis, quę theatrorum, dicantur: ne a-

stătibus, quos nescias, ea quæ fortè quẽpiam lædant. Itaque cum quid uspiam dicturus sis, quid, ubi, & quibus arbitris loquare, animaduertendum. Viue.

Tarentinis. 123

DEsinite admirari Tarentini, subitum à uobis Hiarici discessum. Nihil est enim eorũ quæ existimabatis. Armatorum ludum uidere, Neapolim à rege acciti uenimus, cógredientem scilicet cũ Virtute Naturam, per quam uitia significabant. Diuisa acies in partes duas, altera aliam, altera aliá secuta. Verùm, ut est in omni re uidere, qui Virtuti adhæserant, penè omnes, præter unum Brutiorum ducem, qui ei sectæ præerat, uicti, prostratiq; ad terram, pœnas dedere. Qui uerò Naturam sequebantur, uictores incolumesq; exierunt. Is autem, quem dixi, Dux, quod nemini contigisse meminimus, ter senis congresibus totidem hastas, una minus, infregit: ac cæteros omnes, qui ei ludo inerant, superauit. Animaduerti ego ex ea re, uirtuti uitia semper apud homines anteire.

Verùm

Verùm eam per se uiuidam semper, ac primo loco elucescere: quanquam spretam deiectamque esse, hi, quibus in manu opes sunt, & egenis imperant, uoluerunt. Idibus Septembris, ludo alio exacto, quo Inuidia atq; Auaricia, duo potentum uitia, certabunt, ad uos regrediemur. Interea lætum incolumemque Hiaracum expectate. Viuite.

Furiano. 124

NOn possum reticere tantam sæculi nostri dementiam, siue ignominiam uocem, quo modesti probique mendicent: stulti uerò, temerarij, impudentes, cæterique huiusmodi, dites sint. His magistratus, sacerdotia, honores debētur; illis autem inopia & patientia. Quod si dij nostra facta curarent, profectò non paterentur, ut Virtuti uitia nō cederēt, & Probitas ut insania regeretur: nisi id sit fortè quod aiunt, terrena uitiorum præmia esse, cœlestia uerò Virtutum; Quod si sit, quanquā bona spes promittit, nō tamē efficit, ut cōtenti ea ratione uiuamus, dū nobis desint necessaria, illis

affluant

affluant diuitiæ:nobis parendum sit, illis imperandum, Furiane. Vides.

Hiaraco. 125

A Mare incipis, salua res est. Iam tibi chari esse desinent, qui non amant. Eos quidem audies, qui te uel ætate uel morbo ipso adæquarint. Neq; ego te amare prohibeo, qui iam pueritiam præterieris, si ames modò. Verùm te ne perdas Hiarace, cautio est. Amorem quidé Poetæ non ab re ignem esse dixerunt, eius uim naturamq; similitudine quadá rei cognitæ ostendentes. Nam si frigidus ad ignem accesseris, calefies, corpori adiumento erit. Si te in flammá conijcies, cremabere. Hæc ego in amore quidem esse nó inficior: si amaueris, quoad iustum sit, ingenium acues, excitabis politiem, corpus subduces inertię: fies profectò, quàm modò sis, melior. Verùm si te luxui tradideris, in flammam conijcies, peristi, neq; ingenio amplius, neq; corpore libero utére, desidię inertiæq; ac mollicici parens, leuitati obsequens, corruptoribus facilis, uirtuti prorsus ad uersator

uerſator & durus. Neq; ego te huiuſmodi eſſe unquã futurum credam, Hiarace, qui tantam ſpem de te Italis præbuiſti, ut ſalutem omnem, & gloriam ſui ſperét in te eſſe collocatam. Viue.

Hiaraco. 126

PVlchrè dicis Hiarace de accipitribus, cum maribus grandiores eſſe fœminas doces. uerùm dices pulcherrimè, ſi rationẽ, quare id fiat, addideris.. Atq; ut doctior ſis, exiſtimato, ferociã illis, nõ niſi nimio ex calore ineſſe, qui quão eſt in maſculo uehemẽtior, tanto minus uiriũ ſufficere ad cremẽtũ: fœminis autem, quia remiſsior eſt, maius creſcendi adiumentum præſtare. Impedit enim minus id naturę calor intemperatus. Atque id omnium animantium generi cõuenire certũ eſt, ut fœminę maribus frigidiores ſint, aut ſaltem caloris habeant minus. Vnde fit in homine, ut mulieres ſint maſculis candidiores. Viue.

Sorano. 127

VEnit ad me hodie Colibertus, & quę retulit, audiui omnia: uerùm non omnia

mnia credidi, sed ea tantum quæ à te di
cta esse potuissent. Nosti hominem: nec
clã te est, quàm ego quoq; illũ bene no-
rim. Quare nihil est quod operam per-
das, si me speras in eum uallum trudere.
Laudo equidem mulierem, laudo pro-
geniem Sauianam, & dotem laudo, ne-
que despicio affinitatẽ. Verùm Coliber
tus is mihi suspectus est adeò, ut porri-
genti aurũ purissimũ, non nisi ęs illi cre
derem posse in manu delitere. Viue.

Furiano. 128

HOrtaris Furiane, ut Belgarũ Ducis,
Heluetiorumque bella, quibus affue
rim, in scripta redigam, ne rei nouitas,
& mira militiæ disciplina depereat. Fa-
teor equidẽ id fore perutile. uerùm de
principibus malè loqui, non tutum: be-
ne autem, uiri non boni, cum mendacia
proferas. Nam temporis nostri benè fa-
cta si colligas, in nucis testa concludes.
Vnde igitur erit, in historiam quod con
ijcias? Satius existimarem, si facultas da
retur, eorũ gesta cõscribere, quorum ę-
tas longè ante nos desueuit. & qui, si ue
lint,

sint, irasci non queant, cum uitæ simul omnem detexeris ordinem. Pauci enim quibus lingua libera fuit, & animus rerum malarũ impatiens, principibus grati. Verentur enim, turpia facta ne corrigas; ideoque odio habent. Assentatores autem, futilesque histriones gratissimi: quoniam nihil unquam proferunt ingratum, laudant omnia: simul admirantur, quæ fecerint. Rident stultitiam, & accipiunt pro scelere meritum. Ego autem silere potius statui, quàm uera scribere, Furiane. Cessa.

Hiaraco. 129

DEtuli ad Regem, patrem tuum, quæ commiseras. Audiuit ea, qua solet taciturnitate. Postridie se responsurũ pollicitus, in diem tertiũ distulit. Inter hæc me ad Diomedem misit, rerum suarum conscium, ut scis, eadem illi ordine recẽsurum. Adij, audiuit. Rem grandẽ lætatus est Regi, ut solet, insperatò obijci: me laudauit. Ad Regem redij. Respondit. Quid tãdem fieri uelit, à me audies. Interea scito Regem Peloponensi uiro

diffidere

diffidere in tanta re, neque illum ad se ire iubere. In Achaiam uerò proficisci uult, sine literis. Legatus si redierit, tum se facturum spondet omnia, quę postularit. Cętera scies à me ordine, cum rediero. Nunc de pecunia est, quod ago: id quoque spero nobis eventurum ex sententia. Viue.

Hiaraco. 130

PRiusquam ad te redeam, Hiarace, domum reuiso. Nosti enim, si non es durus, quàm iucunda patriæ facies, quàm dulce solum natale sit, quàm domus ipsæ, & cognati earum. Affirmo debere nos patrię omnia, quia genuerit. Verùm tam gratam ac mitem alia nulla re esse existimo, nisi quia teneros annos ibi exegimus, quorum reminisci dulce est: quod & in altrice etiá terra experimur. Quare si tardior sim, quàm uelis, ea gratia indulgebis. Viue.

Furiano. 131

APpuli, Furiane, araneas ita noxias habent, ut credi facilè haud posit, quáta rerum uarietate distrahantur, quá ue dispari

diſpari modo ſubueniant uenenatis. Alios ſemiuiuos ſepeliri, alios pedibus per urbem trahi, alios eo modo per undas poſtulare affirmant: quod niſi fiat, emoriãtur. Sunt qui lintribus gaudeãt, aut phaſelis, cantu & cithara adhibitis. Sunt qui concubitum poſcant, qui euomãt, qui edant cõtinuè, qui turpe quid aliud agant. Eorum uerò pars maxima ſaltare ad ſolẽ conſueuerunt, æſtate feruidã: & uinum bibere, nulla aqua temperatum, qua ex re uenenum putant in ſudorem ſolui, & euaneſcere. Veſtes autẽ uirides alij expetunt, alij rufas, alij prorſus nullas. Fiſtulam & ſiſtrũ libẽtiſsimè audiunt, mederíque ſibi ſonum præcipiuè putant. Sed tantá inuaſit eius rei Apulos inſania, ut eos etiam, qui febre quouis modo lãguerint, uino & fiſtula curãdos putent: ad ſolẽ ſaltandũ, nihil dormiendũ, ut uenenũ eijciatur. Quare multi uino, labore, uigilia defeſsi, mortẽ obierũt, priuſquàm uenenũ ſolueretur. Nos autẽ rei nouitatẽ admirati, rem, & hominum ſimul inſaniã ridemus. Viue.

Hiaraco. 132

REdeo iam ad te, Hiarace, postquam peracta sunt omnia, quæ imperasti. Quid autem ad te deferam núc à patre, nescies, usque dum me atque illum habeas simul: equum puta scilicet, aut libellos: nam tertium quod amas, deferri ad te per montes non potest. Neutrũ eorum fero, aliud cogita. Quid, accipitres? Minus. Clypeum? Neq; id quidé. Monile? Tantundé. Quid ergo, nuptias? Nolo te, utere tarditate. Vxorem tibi Rex pater familia illustrissima despondit, teneram, formosam, tui similem,

Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Hic ego me efferam necesse est. Epithalamium Sapphicis aut Hendecasyllabis expectato, quo te atq; illam faciá immortales. Viue.

Sipontino. 133

DEsine, per Deum, Sipontine cupere, mecũ sub Hiaraco uiuere: nó quòd is mitissimus non sit, & cui parêre iustissimum, & iucundum: uerùm ea semper

per magnis domibus inest pestilẽtia, ut ægerrimè atq; inquietè uiuat. Tu siquidẽ id nouisses, coactus etiã non ingredereris. Cupísne inuidia exardescere, tolerare uigilias & inediá, periculis obijci, dolere, fremere, insidiari, cauere? Quæ omnia eorum sunt, qui principes sequũtur: & quibus absolui difficillimum est, etiam si coneris. Dimitte id quæso his, qui iam ingreßi sunt, neque regredi licet, ne destitisse à magnis uideantur: ac nostra potius ex sententia, quàm ex uita uiue. Laudamus quietem, sequimur labores. Cupimus pacem, odia exercemus. Domos construimus, peregrè uagamur. Quo fit, ut uita omnis misera sit, mors autem miserrima, & infesta. Caue.

Hiaraco. 134

QVod me ames Hiarace, quod laudes palàm, & quòd nihil des, grato Principi non conueniunt. Scito.

Aracino. 135

VEnissem ad te, & quæ scripsisti, credidissem omnia, ni te atq; illum cuius

imperio scripseris, cognouissem. Quod polliceri magis, quàm dare, facilè est: cui mentiri, fallere, uerba dare, pro consuetudine iam pulchrum uideatur. Vos eam fallendi argutiolam in alios exercete. Calentiũ uerò dimittite, qui uos nouit optimè, quales sitis. Abite.

Hiaraco. 136

CEnsent alij nihil opus esse bellicę rei uiris literatis, & eloquio florẽtibus: quòd ad id certaminis genus arma sufficiant, & uiolẽta solũ manu sit utendũ. Qui si rectius sentirẽt, profectò aliter facerẽtur. Principes scito, qui uel ipsi docti sint, uel doctos apud se habeãt uiros, nõ min⁹ literis quàm armis pugnare, uincere sępius, facili⁹ dominari. Ea quidẽ linguę uis est apud homines, si moderari queat, ut quò uelit, animos trahat, molliat, duret, in pietatẽ uertat, in tristitiã, in furorẽ, ac postremò in bellum ipsum, aut pacem; si annitatur. Persuadeo enim mihi, neminem tam ferum esse, tum durum, tam immitẽ, aut inhumanum, qui eloquentia bene condita & moderata non

non uincatur. Quã dicendi uim ſcriptis etiam mandari, cõpertum. Literis enim, ſuaſionibusq; optimis, ac pollicitationibus flectere hoſtes ad deditionem, facile eſt: ui autẽ ſuperare, difficile ac perniciofum. Ego ſi tibi, unquam grandi facto affuero, in ipſis armorum tumultibus, dices te mea opera non minus adiutum iri, quàm eorum qui telis feriant ſexaginta. Quòd ſi centũ dixerim, aut plus eo, non inuenies fore mentitum. Sed & quod illi ſuopte ingenio nõ poſſunt, & amari te faciam, & timeri, ubi uiſus fueris aut cognitus nunquã. Crede.

Floro. 137

FRatris mortem e, tſi multis me rationibus & exemplis conſolatus es, ægrè tuli: uerùm non ita, uti multis ferenda uidebatur, his qui mortem hominibus pœnam eſſe, aut bonorum finem exiſtimãt: cõmunem hãc hominũ opinionẽ ſecuti, ut quaſi deſerti à ſuis, non relicti lugeãt, quaſi ereptos eos ſibi perpetuò putẽt, ꝑpetuò nonmorituris. Atqui in ea re mortaliũ error eſt: qui ſi crede-

remus certam esse homini mortem, ita uti confitemur, profectò Epicharmi Siculi sequeremur sententiam, qui emori se nolle aiebat: uerùm quia moriturum sciret, nihil curare. Quod si à primis parentibus institutũ fuit, in suorum morte ridere, omnium consensu rideremus: si uel cantare, cantaretur ab omnibus: nisi ab his fortè, qui modò non lugent, ne uulgi opinionẽ assequantur. Ego etsi lachrymas nó dedi, si nó ploraui ut cęteri, doleo tamen, quòd fratre priuatus sim: cui me Natura cóciliauerat, ut esset cui consilia omnia crederem, quo uterer, quem amarem. Tu, uelim, mihi nunceres literis, quo morbo frater obierit. Scripsi enimad illum geminis literis, ne sine me discederet ex Apulia. Postremò ad eum, fratrem aliũ misi, eadẽ ut hortaretur: noluit obtemperare. Credo, ad sepulturá ducebatur, ita contra omniũ uoluntatem Neapolim properauit. Vale.

Fratri. 138

MArium Fratrem scito his diebus è medio abijsse. Caue tu, eius mortem

tem iniquo animo feras, ut ignari mortalium rerum solent, tanquam noui aliquid passi, quod humanum non foret. Non enim flendus est, qui ante nos natus est, si ante nos fortè deciderit. Ea quidē Naturę uera uia est, ut qui primò ingressi sint, primi omnium exeant. Quòd si secus acciderit, casu, non natura fieri existimato. Neq; ob id terreare, quod frater occiderit, quasi horrendū aliquid aut durū, aut terribile passus sit. Mortē eo modo accipias uelim, ut nihil esse præter laborū finem, curarumq; omnium putes, corporis atq; animi quietē: etsi multi longè aliter censeant, rei tantū faciem intuentes: qui nisi perpetuū interitum crederent, profectò haud ita lugerent. Quod si mors homini lugēda est, quia uitæ finis & interitus existimetur, non alterius casum, sed suū quēq; haud dubium flere oportebit, quòd lumine, quòd patria, domo, liberis bonis denique omnibus priuatū iri, atq; extingui perpetuò necesse sit, ut neq; corpori neq; animo spes ulla relinquatur.

Itaque uita omnis misera, usque ad interitum, qui miserrimus est, eorum iudicio censeatur. Nos autem fratris mise reri oportet, quòd iuuenis sepultus sit, qua ætate maximè uiuendum fuit, cum uix tertium & quadragesimum annum attigisset. Ac si dolendum aliquo esset, ob id reor dolēdum, quòd ę tribus, qui eramus, fratribus uno modò minus uiuamus. qua ex re pauciores facti, ac debiliores uideamur. Vale.

Matri. 139

IGnosco tibi, mater, quòd filium lugeas, quem ipsa genuisti : uerùm non ita res agenda est, ut insanias. Quòd si mater es, ex quo illum genueras, sciueras moriturum: id est, à labore, cura, uigilijs, doloribus, ac morbis creberrimis desiturum. Aduerte quæso, naturam esse eam generis humani, quam fortè pœnam existimas. Ita enim Natura in hominibus agit, ut nati iam nascētibus cedant: procreent, quos relinquant. Non enim mors extinctio est, uerùm uitæ cō mutatio. Sunt illi superstites filij duo,

quos

quos genuit, ut eſſent poſt illum domi, qui uiuerent: aluit, ut haberet qui eum ſepelirent. Quid igitur eſt quod lugeas, ſi unus abs te abiēs, duos reliquit? Quid doles, ereptum tibi filium? Ei tu reſtitue ris. Fles, quòd à te in eum locū abierit, quem tu non multo pòſt fueris aditura? Te igitur flebis, non illum, ſi malum pu tas eò perueniri, quò tibi quoque per- ueniendum ſit: imò uerò omnibus, qui uiuunt. Neque unius quidē ſelectio eſt, quin una uia ſit aliquando moriendum. Igitur cum illum mortuum defles, te pu tato moriturām: ac ſecuturam eum, quē doles à te abijſſe. Quod ſi ea, qua decet, mente cogitaueris, profectò amplius non lugebis. Ceſſa.

Fabio. 140

PAtris tui mortem, à quo erudiebare, duabus quidem cauſis tibi lugendā, puer, exiſtimo: altera, quia patre priua- tus es, qui te genuerat: altera, quia præ- ceptore, à quo ſapere ediſcebas. Paria e- nim ſunt, & gigni, & erudiri: cum alterū procreet animal, alterū faciat hominē.

Non enim manus duas habere, aut pedibus geminis proficisci, cæteraque huiusmodi, quibus à brutis differimus, hominem faciunt: sed rerum scientia, & eloquentia. quæ nobiscum non nascuntur, quinimò ab alijs accipimus, apti ad eam rem nati magis, quàm cætera animalia. Quæ tanto in nobis maiora sunt, quanto à uiris præstantioribus accipiemus. Tu igitur cura ut doctus sis, ne degenerasse à tuis uideare. Auum non nosti: patrem nouisti, & me: illũ sequere, exẽplis nos imitare. Deniq; cum nihil est aliud quod lectites, patris carmina legito, ut eius in dicendo similis fias. Audi.

Hiaraco. 141

AGri fundum mihi esse cupio iam Hiarace, ubi quantulũcunq; superest ætatis, consumam. Satis quidẽ elaboratum est: quietem postulo, si tu sinas. Verùm quo loco fundum deligam, nondũ comperi. Namq; intra mœnia, loci angustia prohibet: prope urbem, ciuium concursus: ad mare, piratarum insidiæ: in montibus, sterilitas dissuadet. Qualem igitur

tur uelim, si rogites, sic habeto. Planum, atque ex parte editum, Boreæ ac Subsolano ignotum, Hespero oppositum, aut stratum ad Meridię. ubi uiuus fons de petra exiliens, quo latè iam profuso, piscis plurimus ludat. Atq; inde fluentes riuuli agrum totum irrigent, milibus ab urbe passuum duobus, totidemq; à mari distinctũ. A` Septentrione uerò nemus, quò sese feræ, æstu urgente, sole autem abeunte, recipiant. Vmbras præterea prope aquam densissimas, quæ soporem gignant, aut Musas excitent ad canendum. Has si cõditiones compereris, me uocari iube. Cæteras quidem arbores arbitrio mihi disponendas dimitte, atque herbas seminãdas, inserendos surculos, palmites amputandos, cuius rei artifex sum peritissimus. Viue.

Celio. 142

TV si fuisses uolucris, profectò fuisses accipiter: ita tibi uncæ manus, atque aptæ natę ad rapinã, Celi: qui stanti mihi anulũ rapueris clàm adeò, ut, quẽ aiunt, Argũ etiam cẽtoculum fefellisses.

Quem

Quem nisi restituas, scito te furẽ omnibus cognitum iri, & pelli undiq; prorsus, Celi. Valeas.

Hiaraco. 143

POntifices ego, & quos Sacerdotes nominant, inferi regis, an superi, ministri sint, non intelligo: cum uideri alterius uelint, alterius mores atq; ingenia sectentur. Quo fit, ut uel ij superum inferumq;, eundẽ esse censeant: uel se neutrius, sed tertium nescio quid, utriusq; sapientiam simul eludens. Vides.

Regi. 144

SI meas has legeris, bone Rex, neque despexeris epistolas, aspicies, quonã modo tibi filium instituerim, siue ad illũ scribẽs, siue ad alios cuiusuis ordinis homines. Nam cæteris etiam quæ scripta sunt, illi tribui legenda, ut inde quoq; hauriat disciplinam. Longè tamen ei plura uerbis tradidi monens, & quidem non leuiora. Tu autem Rex inclyte, pro filij documẽto, si mei memineris, facies ut gratum principem decet. Nam si merentur apud te, qui canes, aut accipitres curant;

curant: quanto magis, qui liberos tibi, rerum omnium chariſsimos, erudierunt? Viue.

Soleno. 145

MOrbus ille meus, quem ſaltum Medici appellabant, euaſit in arteticã: eam ob rem, quod ſolum ſupererat, Puteolanas ad balneas eo. De uxore, ſi ſanus rediero, pòſt agetur. Nam duas ſimul pati moleſtias, durum puto: & illã duriſsimam, quæ corporis uires exhauriat, animi diſtrahat & obtundat. Quòd ſi contractus gemuero, ſi clamauero dolens, irridebit, doloremq; citò deſiturũ minitabitur. Mihi autem ſi dolendũ perpetuò ſit, dolendum ſit ſoli. non enim mihi clamandũ, quòd doleam: illi, quòd uiuam. Viue.

Sauiano. 146

QVid Baijs nũc agam, ſcire te cupio, Sauiane. Ad inferos eo, ibi tormenta uaria, uarios hominum cruciatus aſpicio. Lamenta ploratusq; audio, mœſtos alloquor. Ipſe quoque nunc torreor, nunc elixor, neque cuiquam deco-

ctus apponor: sed nouus semper, uelut
Tytij iecur, ad supplicium nouum du-
cor. Hoc autem quid sit, non intelligis?
Dum meam artheticam curo, nunc cali
dissimas aquas perpetior, nunc in mon
tium uiscera penetro, per ignitas cauer-
nas, ut calore immẽso, & sudore profluo
decoquar, ueluti sub testa capi mortui
solent. Et locus est, ubi alij manus, alij
pedes, aut caput, aut humeros, cæterás-
que corporis partes in effumantem dra
conem immittant. Audires in ipsis bal-
neis, alios podagrã gemere, alios siam,
alios stomachum, ilia, pulmonem, iecur,
pectus, splenem, reumata, uesicam, cæte
raq; eiusmodi mala multifaria: alios que
ri, ꝙ dijs inuisi, quodq; in hos morbos
cõiecti, nõ uiuant, sed mortui cruciatu
uario afficiãtur. Neq; uideris quẽpiam,
qui corporis parte aliqua lęsa nõ dole-
at. Ecquid poetę aliud apud inferos ef-
finxerũt? ideoq; & per Auernũ ad Sty-
gios iri, quòd is locus propè sit, & pro-
pe quẽ turba tristissima, tãquã ad fauces
subeũdæ ciuitatis, cõsidat? Hic doloris,
mœstitię

mœstitię,gemitus,languorisac pauoris
ocus:utDitis domũ,& regnum lachry-
abile, quod aiunt, esse fatearis . Viue.

Solimeno. 147

Vnt qui de balneis multa conscripse-
re,sed & quidem multa sunt mentiti,
am uitá redimere aiunt, dũ uolunt ca
ti succurrere,stomacho mederi,ieco-
rodesse,spleni subuenire,uisum resti
ere,fistulas curare,podagram pellere;
eras prohibere, ignẽ extinguere, pla
solidare,ferrũ eximere,uires repara
morbos deniq; omnes uincere,salutẽ
ocare. Quod si sit nemo unquá ęger,
o nisi fato aut natura moreretur. Ni
nim abest aliud,nisi ut immortalita
alnea tribuerẽt. Ego uerò multos ui
ueis balnea nihil contulere,&quib.
è aliquid ad morbũ addiderũt. Sed
aliquos extinctos, non scripserunt
res nostri : quare oportuit insere-
s mortem comminari. Mihi quidem
ea nihil ad salutem,usque modò. dij
nt, ut cũ cæteris ego quoque deos
s esse profitear, Solimene. Viue.

Archile-

arcta nimium, ſed cuius manu teſtudinē non attingas; & quidem natura lapidis ac colore bipartita. inferiori quidē parte, nigro ac frigido, ſed naturali ſilice cauata: ſuperiori uerò, topho pallido ac calidiſsimo, qui tractari non queat, & argenteis guttis exudet. Aer ibi, ſubiecta flamma, uel circumfuſa, conuictus. Odor ſuauis, ſed qui cæterorum naturam non ſapiat. Antri longitudo paſſuum fermè ſexaginta, quà iri pòteſt. Ea uia in plures diuiditur: ſed quæ media eſt, tutior, & tolerātior. nam cæteræ uel ſuffocāt, uel exurunt, aut elixant. Aquæ ſunt ebullientes, ut interimant. ſed quæ meabilis eſt, eueſtigiò uertit in ſudorē: adeò, ut niſi breui te foràs conijcias, humorem omnem exhauriet. Et multi quidem tentantes perierunt. Quare mirandum eſt, qua arte primi effodiendo irrupiſſent, quandoquidem opus humànum credi non poſsit: etſi ferri ueſtigia inſint, & manu factum ſpecu conſpiciatur. Viue.

Colotio. 150

ET qui de Puteolanis balneis scripsere, & qui se ijs quotidie lauant, cæci. Aiunt imagines, quæ Tritonij fontis testudini ueterrimæ inhærent, manum ad doloris locum porrigere, cui aqua ipsa medeatur. Sed quid equus, aut delphines, aut cerui sibi uelint, aut tigres, aut Triton ipse, si rogites, nesciunt respondere. Neque aduertunt eas imagines artificis ingenio editas, non hominum modo, diuersa nitentium, sed & brutorum quoque, ad decorem operis stare. Nymphæ sunt enim, quæ saltitét. Num saltare balneum cogat, aut cátare, quia sunt quæ cantitent? aut currere, quia fugientes capreolos cernimus? aut strepere, quia perstrepunt equi? Fatui.

Furiano. 151

QVod de Tritonis specu disserebas, falsum comperi, Furiane. Nó enim stans sudas & æstuas, sedens friges! hoc etiam cum Puteolanis fabulis effictum est. Vaporem omnem scis in altum contendere: quare densior prope testudinem

nem ſit neceſſe eſt, ideoque calidior aliquanto. Etſi lapidis natura diſſentiat, non tamen efficit, ut ingenium ui crebra non uincatur. Itaque & ſtans & ſedens cales, ac ſudas. Illos rideo, qui cū ardeant, opinione deuicti frigere ſe exiſtiment, & fateantur: Stulti.

Celiano. 152

FAtigationem illam, quæ mihi tantopere ſæuiebat in digitulo ſiniſtri pedis, non ſentio, Celiane: uel abijſſe arbitror, uel alicubi delitere, cupio mihi amplius non adeſſe. Nam ſi redierit, nihil eſt quod mihi uitam diei futuram breuiſsimi putē. Ita crebris ictibus, ac uiolento impetu incutit, ut non abfuerint medici, qui mihi abſcindendum pedem conſulerent, ſpaſmum opinantes. neque quicquā fuit, qui ſe fateretur morbi cauſam intelligere. Spero fore, ut amplius non inſidietur. Viue.

FINIS.

ANGELI POLITIANI LACONICÆ aliquot Epiſtolæ.

Ang. Politianus Cæſari Carmēto S. 1



Ontemni te putas, quòd nō reſcribo. Contemnerem, ſi reſcriberem. Quos enim cōtemno, reſpōdere ijs audeo, uel occupatus: tibi nec ocioſus. Vale.

Iacobo Modeſto ſuo S. 2

DOles, quòd non reſcribam. Dolere deſine, iam reſcribo. Vale.

Cuidam S. 3

NOn præſtas, quæ pollicitus. Conqueror, ſi oblitus: magis etiam, ſi nō oblitus. Oblitum fuiſſe, uix amici eſt: non præſtare, cum recorderis, prorſus inimici. Vale.

Pico Mirandulæ S. 4

QVæ uellē corrigeres, tu laudas. Hoc uerò facilè facis, ꝗ ſēper facis. uale.

Amico S. 5

IRaſceris, quòd iſte me Simius carpit. Non ideo me carpit, ut carpat: ſed ut ſibi

ſibi uictum quærat homo famelicus, apud quoſdam, qui multum gaudent aſſentatoribus, plus tamen detractoribus. Vale.

Amico S. 6

SI te ob diuitias amare cœpiſſem, deſiſſem tibi nunc eſſe amicus, cum tu deſiſti eſſe diues. Verùm ſi nunc deſiſſem, ne tum quidē, cum fuiſti diues, fuiſſem tibi amicus, ſed adulator: cum quo eſſe qui poteſt, is eſſe liber non poteſt. Vale.

Amicis 7

MVlti ſimul epiſtolas poſcitis: multis ecce mitto, ſed unicam. Conuenit unica multis, quos unicè diligo: quæ tamen erit ut multæ, quando multi legetis. Valete.

Inuido. 8

INuides omnibus omnia, præter inuidiam: ſed & hanc inuides tuo compari, qui magis inuidus etiā, quàm tu. Sic inuidiam tibi non inuidet, quam tu illi tamen inuides: ita rurſus ille minus inuidus. Qui ſit is, non dicam: ne miſe-

riores faciá, quàm nunc estis. nam si nomen uestrum proferrem, nomen quoq; ipsum nobis inuideretis: nec uterque utrique modò, sed & uterque sibi.

Maledico. 9

MAledicenti non remaledico, ne maledicere mihi tu forsitã desistas: hoc est, ne laudare me desinas. Quis enim laudatur uerius, quàm cui maledicitur à malo uiro? Te uerò appellare malum uirum, tantum à maledicto abest, ut nihil dici posit melius.

Laurentio Medici S. 10

CYgno poeta similis: uterque candidus, uterque canorus, uterque fluuios amans, uterq; Phœbo gratus. Sed negatur canere cygnus, nisi cum Zephyrus spirat. Quid igitur mirum, si taceo tandiu, tuus poeta, cum tu tamdiu non spires, meus Zephyrus?

Pico Mirandulæ S. 11

VIncebar abs te prius doctrina, uincebar ingenio, sed uinci tamẽ lætabar: atque adeò lætor, quoniam te diligo. Quin

Quin ob hoc ipsum diligo, quòd bis uincor. At nunc & humanitate me uincis: hoc equidem ferre nequeo, quoniam turpe. Sed iam fero. nihil enim turpe mihi, quod honestum tibi. Vale.

Amico S. 12

DOles, quòd amicus in disputatione te uicerim? Dolere non debes. nam si sunt amicorum communia omnia, nõ magis, quàm tu, uictor ego: nec minus quàm tu, uictus. Sed hoc tu fortasse doles, quod hac amicorũ lege nec ego planè sum uictor, qui te uici. Vale.

Amico S. 13

REprehendebã tacitus, quòd te diutius oblectares in agro: cũ mihi redditus abs te calathus, floribus plenus, & quidem rosidis adhuc, multicoloribus, ac suaueolentibus. Inuidere, fateor, tibi agrum uolebã, qui flores tam pulchros educaret. Sed ut epistolã tuam deinde legi, floribus alijs, multo pulchrioribus cumulatam, quàm calathus fuerat: inuidere potius agro cœpi, qui de tuis, ut mihi uidetur, epistolis floruisset. Vale.

Cuidam S. 14

DOlui uehementer, lætatus ſum uehementer: quôd ægrotaſti, quòd & conualuiſti. Vale.

Amico S. 15

MItto lilia, non ut gratum faciam tibi, quanquam tibi quoque: ſed ut ipſis lilijs, hoc eſt, ne marceſcant. Vale.

P. FA-

P. FAVSTI ANDRELINI FOROLIuiensis, Epistolæ prouerbiales & morales.

BEATVS RHENANVS HIEronymo Gebuilero S.



Orales P. Fausti epistolas, mi Hieronyme, idcirco ad Germanicæ iuuentutis usum, impreßioni mandandas duxi, quòd uiderem eas minimè pro[illegible]q; in se continere eruditionem. Nam habent eximiam in primis uerborum elegantiam, nec minorem sententiarum, quibus affatim scatent, uenustatem. Inueniet *hic ingenuus adolescens non pauca, ad bene beateq; uiuendum hortamenta.* Discet *hic amorem mulierum esse fugiendum: & uoluptatum fugam, ad sanctiorem uitã quàm maximè conducere, ut Græcanico quodam uersiculo præcipitur,*

Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος.

Quem *hunc in modum* Hermolaus Barbarus *paraphrasi expreßit,*

Venter, pluma, Venus, laudē fugienda ſequenti.
Diſcet præterea tempus, cuius ſumptu nihil
precioſius eſt, per inertiā nō eſſe tranſmittē-
dū. Ociū, innumerorū malorū ſeminarium,
impēſiſsimè euitandū: & id genus plurima,
quæ omnia Foroliuienſis Fauſtus in his Epi
ſtolis prouerbialibus ac protrepticis, cùm le
pidè, tum grauiter cōplexus eſt. Qui etſi in
nonnullis opuſculis, genuino Poetarū more
laſciuiuſculus ſit: hic tamen integrū ac mo-
deſtū oratorē agit. Cæterùm norit candi-
dus lector, adagiā κατὰ τῶν ἀρτυμάτων, ut Græ
ci dicūt, quadrāter condimentorū rationē m
ſubire: his nempe ſi moderatius in concinnā-
dis edulijs popinatores utantur, guſtui aut
grata iucundaq; reddent: illis ſimili pacto,
ſi modus abſit, non tam ſplendorem ac or-
natum, quàm obſcuritatem ſermoni tuo
afferes. Mediocritas uerò omnia ſaluat: u-
bique optima, ut inquit Ariſtoteles, ſummus
(Pliniano elogio) in omni ſcientia uir. Bene
uale: Seleſtati, pridie Calēd. Septēb.
Anno M. D. VIII.

Fauſtus

P. FAVSTVS IOANNI de Ganay, illustri Franciæ Cancellario, Mecœnati suo, fœlicitatem.



Gerem diffusiore tecum epistola, illustris Cancellarie, ni tantam rerum molem sustineres, ut Atlas ille cœlifer esse uidearis. Helleboro nec pauco sanè indiget, qui loquaciorem, quàm par sit, Thersitem referat: apud eum præsertim, cui non modo superuacanea non legendi, sed ne respirandi quidem ociũ superſit. Quid enim importuno locutore stultius aut dici, aut excogitari potest? Itaque Laconem potius, quàm turturem insequar, ne & prolixior fiam, quàm ipse uelim, & tu plus æquo degraueris. Extremæ siquidẽ dementię foret, in eã me garrulitatẽ incidere, quam in alijs damnãdã duco. Guidoni Rupefor ti prouerbiales ac morales, nescio quas epistolas, idcirco dedicãdas cẽsui, quoniã nihil unquã ꝑtermittebat, ꝙ ad me

uel

uel iuuandum uel ornandum attineret. Nam quo altiori fastigio eminebat, eo humaniorem se præbebat in omnes, præsertim literarij nominis professores Quanquam inter eos sum ego tanquam nycticorax ad solem, uel nihil, uel parũ admodum intuens. Ingrati, mendaces item, ac æs alienum conflantes, grauissi mè quidem apud Persas plectebantur: sed in ingratos seuerius, quàm in alios animaduertebatur: quòd nihil tam detestabile sit, quàm collatum in se beneficium non agnoscere. Maior insuper à dagialium apud me epistolarũ aceruus congeritur, quę nihil aliud omnino prę ter publicum affectant, ne semper inter chartaceum puluereumque situm immarcescant. Eas cui iustius, quàm aut tibi, aut germano fratri deuoueam, certè habeo neminem: utpote qui utrique usque adeò obstrictus sum, ut nunquam uerbis consequi possim. Non mihi si cẽtum linguæ sint, oraque centum, Ferrea uox. Esto, infaceto rure infacetiores nugas offeram. Artaxerxes, Persarum rex,

non

non tam donum, quàm donantis animum exosculatus est. Nec eos dij aspernantur, qui cum thura non habeant, salsa tantum mola litent. Vale, ô & præsidium & dulce decus meum.

EIVSDEM FAVSTI AD ILlustrem Franciæ Cancellarium, Guidonem Rupefortem, Epigramma.

Hactenus antiqua strinxi noua carmina lege,
Nunc laxo certis uerba ligata modis.
Fastidita petit uarium mea Musa palatum:
Non uno est semper mensa paranda cibo.
Primum igitur parui fructū donamus agelli,
Crescat ut auxilio copia larga tuo.
Si fortè aspirans de rupe Fauonius adsis,
Cornua fœturæ plena recentis erunt.

P. FAV-

P. FAVSTI ANDRELI-
ni Foroliuienſis, ad Guidonē Rupefortem, illuſt. Franciæ Cancellariū, Epiſtolæ prouerbiales & morales.

1.

Quod hactenus in producendo tantum carmine inſudauerit, nunc demum ſolutam orationem aggrediatur.

SI exiſtimarem, illuſtris Cancellarię, me in albo eſſe, in quo uel antiqui uel recentiores Oratores inſcribuntur, nihil certè aliud facerem, quàm aut noctuam aquilæ, aut teſtudinem pegaſo committerē. Oratorium enim munus non modò primoribus labijs non guſtaui, nec extremis digitis attigi, ſed ne à limine quidem ſalutaui. Nonnihil ſum conatus illud peniculatim effigiare: cæterum uix ad umbram proximius acceſſi, quòd operi manus artificiumque defuerint. Sub cenſuram aleamque tuam uenit hoc, quicquid eſt umbratilis ſimulachri.

lachri. Quum iudicium habeas, ad perpendiculum, ad amuſsimque quadratũ, non tantum crepidam, ut Apelleus ſutor, ſed totam poteris imaginem non indignè cenſere. Nihil inuenies omnino, quod uel Demoſthenis uel Ciceronis lucernā oleat. Nam in carmine procudendo omnem fermè ætatem conſumpſi: atque utinam exquiſito potius, quàm numeroſo. Vergilium, ut ait Seneca, illa fœlicitas ingenij ſoluta oratione deſtituit. Non inficiantur cùm alij, tum in primis uerſiculus ille cõſularis, Ciceronem, alioqui Latini parẽtem eloquij, inuitis (ut aiunt) Muſis ceciniſſe:

O fortunatam natam, me conſule, Romam.

Felix, qui adiuuante natura, potuit utrũque dicendi genus aſſequi. Omnis quippe ars, repugnante natura, ſi Quintiliano creditur, uel parũ uel nihil prorſus ualet. De me inter oratores, ut ingenuè fatear, iurè dici poteſt protritũ ac uulgare prouerbiũ: Nũquid & Saul inter prophetas? Sed uolui multa deguſtare: quippè qui faſtidientem habeam ſtomachũ,

ex diutina scribendi carminis agitatione. Quî autem fieri potest, ut poeticam quis calleat, oratoriam autem ignoret, quum ex ipso carmine pedestris oratio profluxerit? Alia est, ut scis, noscendi fili ratio, alia uerò contexendi. Exercitatione cõsummatur, quicquid natura arteque percipitur. Vbi absit exercitatio, ibi aut naturalis aut artificialis peritia ut cesset necessum est: cum tota uirtutis laus, ut præclarè scriptum est à Cicerone, in ipsa tantum actione consistat. Itaque ut demum ex tabula manum tollerem, tumultuaria succisiuaq; lectione recognoui nonnullas, quoad potui, epistolas, quas iamdiu ad uarios, sicuti mos est, uel amicos uel inimicos præcipitaueram: eas tibi nuncupatim dico, deuouecoque. Dixeris fortasse, & meritò quidem: Quid mihi, Fauste, cum epistolis istis tuis, Siculis gerris, Persicisque nugis uanioribus? Scio ego, mi suauissime Guido, haud illas esse, quæ præclaris ac maximis tuis in me beneficijs respondeant: sed ut authoritate tua elephãtos

ex

ex muſcis facias, & paruo pedi magnos calceos circundes. Si æqui boníque feceris, forſitan ex arido pumice ea in futurũ ſcatebit aqua: cui, ut arrogãtiuſculè loquar, uel exundãs Nilus inuideat.

2

Amico reconciliato aut rarò, aut nunquam fidendum.

COgerer profectò, Antonij more, Sardinio profuſius, diſſolutiúsque ridere: quamuis Licinius Craſſus, ſeu Phocion: Heraclitúue aut Philippus, Romanorum Imperator forem: quos idcirco ἀγελάστους, id eſt, irriſibiles nuncuparunt, quòd ille ſemel in uita, hi uerò riſerint nũnquam. Quis ita frõtem caperat, ſuperciliũque ſubducit, quin planè Democritũ ageret, domi foriſq; cachinnãtẽ, exclamãtẽq; illud Lucretij carmẽ,

— O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca:

Quum tu, qui literas ne de facie quidẽ agnoſcis, in omnes tum doctos tum morigeratos oblatres? Quod certè perinde eſt, ac ſi audeat uel culex elephantẽ mordere, uel formica leonem tondere.

Non ignorabas in duobus corporibus unã eandemq; esse & meam & Fernandi animã, sicuti amicitiæ candor ac uis exigit: quæ demum, authore Sallustio, uera est, quũ idẽ uelle idemq; nolle accesserit. Tu uerò tam sanctæ tamq; feruẽti beneuolentiæ inuidẽs, haudquaquã erubuisti, tanquam is qui frontem perfrictã habeas, frigidam inter nos aquam suffundere. Quod quum olfecissemus, non iniuria censuimus te, aut noctuam inter cornices, aut asinum inter simias habendum. Dij boni, quam uerax est Plautinum illud: Lupum esse hominem homini, non hominem, qui qualis sit, non nouit. Nunc demum uela uertis, studesq; duos parietes ex una fidelia dealbare, & uno saltu duos simul apros capere. Nam subinde dicere soles, opera nostra ita ad unguem læuigata, pluteumq; ac demorsos ungues sapientia, ut ne à Momo quidem carpi queant. Eos in præsentia melle dulcoras, quos prius aloe inamaricasti. Ne præstoleris reciprocam laudationis talionem. Hoc enim

enim eſſet, mutuum mulos ſcabere, ſeneſq; ſenes confricare. Nos alterius frictione haud ſanè indigemus, utpote qui ungues habeamus, eam ad rem non inhabiles. Nos, qui nobiſcum habitamus, non extrà nos quærimus, noſtrisque nos pedibus metimur: Chilonis præceptum imitantes, pro foribus templi Apollinis inſcriptum, Γνῶθι σεαυτὸν, id eſt, Noſce teipſum. At tu duabus ſellis inſides, ſemperque aquæ inhæres. Nec in ſolido conſiſtis unquam, tanta uteris & fluctuatione, & inconſtantia. Non'ne hoc eſt uel cothurno inſtabilius, uel nebula uanius in pariete depicta, te modò hunc, modò illum pro uiribus ſauciare, deinde illatū abs te uulnus demulcere? Tota uia, totóue cœlo aberras, ſi arbitraris nos in ſaxo uenditare. Non ſunt nobis oculi lolio uiciati, quin ſerpēte aquilaq; acutius intueamur, quorſum tendat palpans & ſubdola hæc adulatio. Nec tātū aquę Lethææ bibimus, ut Perſij ſimus immemores, ſic in aſſentatores excandeſcentis:

tt 2 Bellum

Bellum hoc excute totũ, Quid non intus habet?

Ne talpas putes, qui non ulularũ modo, ac lyncum, sed etiam caprearum oculos habeant. Velim tibi persuadeas, bifrontes nos Ianos esse, in quos à tergo nequeat uel ciconia pinsere, uel asinus auriculas mouere, uel canis linguã exerere. Te qui non nouit, tollat. Illiq; cẽtones facias, qui albus an ater sis, nesciat. Nos autem non potes ullo quouis pacto supplantare, qui te ab unguiculo ad summum capillum, quique intus & in cute exploratum habeamus. Vna manu panem ostẽtas, altera lapidem celas. Quod quidem est, litum melle gladium offerre, monstrum alere, clauum clauo trudere, tragulam inijcere, fabricã struere, palpum obtrudere, teque ueslitu ac creta occultare:

Introrsus turpem, sed summa in pelle decorum:

neque à simulata crocodili natura alienum, qui uiso à se homine, statim illachrymat, eundemq; mox deuorat. Hinc crocodili lachrymæ, tanquam fictæ, deuitandæq; nominantur. Tibi quàm optimè

mè quadrat, quod de ficto falsoque amico scriptum est ab Horatio,
— Hic niger est, hunc tu Romane caueto.
Sed quid Horatium profero? tametsi ab Hieronymo & doctus & acutus appellatur: quum sub ouina pelle cauendos lupos præcipiat Redemptor ille noster, qui solus est non tam renum quàm cordium perscrutator. Piscaris tu quidem in aere, in marique uenaris, si ex palino dia exorare reconciliationem credas. Prius testudo leporem cursu preuertet, currusque bouem tranet, quam hoc uel a me uel à Fernando impetres. Semel stateram transilisti. Non est amplius hirundo sub tectum admittenda. Inimico reconciliato aut rarò, aut nunquam fidas. Imputandum est pisci, si rediens ad euasum semel hamum, deprehendatur. Stultum est dicere, Non putaram. Frustra Neptunum inuocat, qui secundum patitur naufragium. Veterem pelliculam haud facilè exuit, qui iamdiu fraudibus occalluit. Nónne omnia tã ciuilia quàm pontificia iura proclamãt, Eum semper

malum fore, quem semel malum fuisse constiterit, eodem prȩsertim male genere? Nos neq; austeros admodũ, neq; inexorabiles Ariopagitas dixeris. An nescis, malo nodo malum cuneum quærendum esse? Si tibi machæra est, & nobis urbina Sua est & formicis ira. Si à fronte à tergoq; diligẽtius cõsiderasses, in eadem prora ac puppi remum duxisses: ab ouoq; ad mala usque, aheneus inter nos murus stetisses. Te ut euitemus, ansam dedisti, fenestramq; aperuisti. Capra gladiu, quo mactaretur, inuenit. Faber, quas fecit, compedes ipse gestat. In expuentem recidit, quod in cœlum expuit. Suo sorex indicio perijt. Potes tu, qui mali fontem reperisti, tuoq; iumento accersisti, cum Ouidiana Phyllide non immeritò conqueri,

Heu patior telis uulnera facta meis.

Proprio ligone se ipsum percutere, uineaq; sua cædere, ac in factam à se foueam decidere, quàm imprudẽs incautumq; sit, uel lippis atq; tonsoribus notum est. Esto in pristinam nostram ne-

neceſsitudinem recipiaris: dic ſodes, dic, inquam, cuiná uſui eſſe poſsis, in re præſertim literaria? ei nempe, cui & canis in balneo. Quid graculo cũ fidibus? Quid aſino cum lyra? Quid ſui cum amaracino? Vide quanti te faciamus, uel laudantem, uel uituperantem. Vino uendibili haud opus eſt ſuſpenſa hedera. Canis, qui plurimùm latrat, perrarò mordet. Qui ex ſeipſis dependent, & tibi, & tui ſimillimis laqueum mandant, mediũq́; guem oſtendunt. Non elephas culi[illegible]m, nec [illegible] curant. Puerile eſt, fulgur ex uitro metuere. Vale.

3

Quòd Aeneis non ab omnibus intelligatur, dubiam habens cum Iliade palmam.

Contra fluminis tractum adniterer, ſuauiſsime Deli, ſi te minimo prouocarem. Eſſemq́; Icaro, ac Phaëthonte, ne dicam, Gigantibus audacior: ſi te, qui emunctas purgatasq́; nares habeas, naſo ſuſpenderem. Non cuiuſq; eſt, na-

sum habere, nec Corinthum petere. Sed sæpius holitor ualde opportuna loquitur. Latet & sæpius sordido in panno sapientia. Non sum ego neque Harpocrates, neque Angerona, quorum alter ab Aegyptijs, altera ab Romanis, obligato obsignatoque ore depingebatur, ad silentium uidelicet indicandum. Vnde uice prouerbij à Iuuenale usurpatur,

— Di ito compesce Labellum.

Noscis dentem esse linguæ claustrum. ne aut tanquam cicada obstrepat, aut na Seryphia obmutescat. Tantalus o garrulitatem ad inferos est detrusus: Amyclæ autem tacendo periere. Omnibus in rebus, teste Philosopho, damnanda est defectio. Ne simus ex his, de quibus dicit Horatius:

Dum uitant stulti uitia, in contraria currunt.

Cui astipulatur & neotericũ illud adagiũ, haudquaquam aspernandum,

Incidit in Scyllam, cupiens uitare Charybdim.

Seu mauis & aliud,

Incidit in prunas, cupiens uitare patellam:

Non ab re Flaccus inquit,

Est

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Quare ut est apud Homerum, Circe Vlyssem admonebat,

Extra undam & fumum lōgè compelle carinā.

Qui uerò errantem intuetur, neque mutire quicquam audeat, ac si oleum in ore ferat, non tam in culpa est, quàm si ille idem aberraret. Sicuti apud Athenienses piaculum erat, erranti uiam non mōstrare: ita & monstranti non credere. Ne supercilium corrupes, si Cato in Catonem inciderit, ac tecum ex plaustro loquar: nec remulco, sed plena utar uelificatione. Audiēdus semper est, cui, ut Lacedæmonio Apollini, quatuor insunt aures. Bos lassus fortius, ut refert Hieronymus, pedem figit: in quem iuuencus, ceu Dares in Entellum, procumbit. Quorsum hæc? Vt intelligas, in Aeneide, quam tu propediem es aggressurus, agnum natitare, leonemque submergi: neque in ea reperiri, quod pueri clamitant sese in faba reperisse. In Vergiliana nuce, quo altior nucleus absconditur,

eo ignotior medulla latitat: nec eã quiuis ſus penetrat. Aeneidos ego glaciem Pariſijs abſcidi, foresq; aperui: nec ſemel coactus ſum caput ſcabere, uiuosque ac crudos ungues arrodere. nõ enim mihi, neq; intus canebã. Nimirum circulũ abſoluit, atq; omniũ punctum refert, qui Gordij nodos in Aeneide, ueluti Alexãder, gladio diſſoluat. Quiſquis ſecus cẽſeat, cornicum oculos cõfixerit. Habet Vergilius cum Homero dubiã, ut Satyricus teſtatur, facientia carmina palmã. Vrſina lingua ita Aeneida effigiauit, ut inſtar mundi, auctore Macrobio, cõſtructa uideatur. Nã uti mundus, ita & Aeneis rerũ diuerſitate cõcinnatꝰ. Si Craſſi grauitatẽ, Criſpi breuitatẽ, Frontonis ſiccitatẽ, Ciceronis copiã, Plinij Symmachiq; pinguedinẽ ac floriditatẽ: ſi deniq; riui lenitatẽ, torrentisq; impetũ requiras: in una tantũ Aeneide cõperies, quæ quidẽ una eſt in omnibus, & omnia in una. Deſpumat illius uindemia, ex uarijs hinc inde racemis undecim annos ſelecta: eoq; prælo expreſſa, quale antea

Latini

Latini degustarát nunquá. Defecatũ & in ea uinũ, omniũ palato, ambrosia nectareq; suauius. Vix inceptæ à Vergilio Aeneidos tanta fuit fama, ut Sex. Propertius prædicare non dubitauerit:

Cedite Romani scriptores, cedite Graij,
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Cui Ouidius astipulatur scribens,

Et profugum Aenean, altæ primordia Romæ,
Quo nullum Latio clarius extat opus.

Maro ad Augustum rescripsit de Aenea suo, tantam quidem rem inchoatam esse, ut penè mētis uitio defecisse uideretur. Papinius, Vergilij simia, non erubuit, Thebaida, duodecim à se annos elucubratam, hisce uersibus alloqui.

— Nec tu diuinam Aeneida tenta, —
Sed longè sequere, & uestigia semper adora.

Alexāder Ro. Imperator, dormiturus iubebat semper, ceruicali Vergilium supponi: sicut & Homerum Alexander Macedonũ rex. ille, ut ad Aeneæ: hic, ad Achillis typũ sese fingeret. Vergilius núllius expers disciplinæ, neq; laude, ut inquit Macrobius, extollitur, neq; uitupe rio deprimitur: quē Augustinus scribit

propterea

propterea à paruulis legi, ut uidelicet poeta omnium prẹclarissimus atq; optimus, teneris annis ebibatur, nec ita facile obliuione aboleri queat. Caue igitur, ne illotis pedibus tam diuinā interpretationem attentes, sis & caput absq; lingua, pedariáq; sentētiā sequaris, neúe canis è Nilo bibas. Caue inquā, ne remis uelisque nauiges, & serò Phryx sapias. Ardea incassum aquam culpat. Vtere usurpato ab Augusto Cæsare prouerbio, Σπεῦδε βραδέως, id est, Festina lente. Nā ut Caton. placet, sat citò, si sat bene. A' seipso fallitur, qui sibi est aut Suffenus, aut Meuius. Sese autem fallere, nihil est neque uanius, neque perniciosius. Vale.

4

Non esse antiquatis obliteratisq; uerbis utendum.

DOleo in immensum, quòd hactenus ad parietem, seu potius ad mortuū uerba fecerim: quodq; sis asinus, stramē pluris faciés, quàm aurum. Etenim mentis inops est, qui sanctū cani det, & ante suem rosas margaritasque dispergat. Si cogi-

cogitassem nihil retibus trahere, nunquam certè presſissem, quem cogor in præsentia pollicem uertere. Surdo asello narrata est fabella, quum dolam, qua tu ad rubricam læuigareris, attuli. Quid igitur loquẽdi sartagine abuteris, ac mecum quasi cum matre Euandri sermocinaris? Vetus rancidumq; lardum sapit, qui uerba multis iam sæculis obliterata, & à sequenti demum ætate exauctorata, reuocare in lucem studeat: sempérque in ore habeat, aut uenosum Acciũ, aut uerrucosum Pacuuium. quemadmodum & is, qui pro furfureo pane apludam, pro fœtido uino floces usurpabat: & Imp. Hadrianus, adeò uetustatis amator, ut Ciceroni Catonẽ, Vergilio Ennium, Sallustio Cæciliũ prætulerit, eademq; iactatione de Homero ac Platone iudicauerit. Quoties quoties admonui, ut & Atticis Gellij noctibus inuigilares, & in Macrobij apud Vectiũ symposio cõuiuareris? Illic, si præceptorẽ nõ austris immisisses, audiuisses utiq;, uiuẽdũ esse morib⁹ pręteritis, quòd honesti, quòd

quòd sobrij, quòd modesti fuerint: præsentibus autem uerbis loquendum. Audiuisses & C. Cæsarẽ à toto cœtu summo plausu exceptũ, qui primo de Genealogia libro scriptũ reliquit: Insolẽs atq; infrequens uerbũ, tanquã scopulum, euitandum esse, nisi usu renascatur. Penes quem uis est, ut testatur Horatius, & norma loquendi. Saltantem camelum facit, qui antiquã recentioribus ruditatem ostentet. In fœcundi quippe ingenij est, præmonstrantem, quanquã illi debet[illegible] plurimũ, no[illegible] excedere. Haud immeritò posteri & de Deo & de Natura cõquererẽtur, si quid maiores uel labore uel industria excogitarunt, non possent & minores illud idẽ, & melius fortasis, comperire: dummodò ea rerũ curiositate exagitarentur, ad quã prisci neruos omnes intenderunt. Nõ alijs, nec pluribus certè membris, quàm & nos simus compacti erãt: neque ingenio nepotib. præstarent, nisi pro grauitate ignauia, pro contẽplatione torpedo, pro uigilia somnus obreperet. Quo iunior, eo sanè perspicacior.

cacior. Es tu mehercle senex bis puer, immò semper puer. Non addam amplius, ne uerbum quidem unum. Inexperti est agricolæ, annosam arborem transplãtare. Quis funem in puteum demittat, scienterque deiectum extrahat? Duræ ceruici paranda est securis. Vale.

5

Non habendũ esse cum fœmina commerciũ.

VEreor, mi Francisce, ne aquam in cribrum ingeram, bouemque ad ceroma mittam, quòd scilicet ad corpus scribam absq; pectore: quippe qui sis uel pistillo retusior, uel Bœoto aere crassior. Non'ne iure censendus es Oreste Labeoneque insanior? Non'ne exclamare libet Satyricum illud,

O medici, mediam pertundite uenam?

Cum meretricia uoragine usq; adeò immergaris, ut inde ebullias nunquã. Cur Anticyram nõ aduolas, ut illic helleboro cerebrũ expurges? Ira naso decidat, dũ te aceto abluã, dumq; hulcus ad uiuum attingã. Qui quod non debet, agit: quod nõ uult, adinuenit. Nescis insane, nescis,

nescis, fœminam amplecti, nihil aliud omnino esse, quàm aut hamum deuorare, aut diaboli uiscario intricari: aut in sinu ignem, quo exuratis, deferre? Virũ enim ac mulierem, tanquam ignem paleamq́3, nunquam insufflare cacodemó cessat, donec & accendat, & inflammet. Muliebre commercium æquè profectò, atque igniuoma Chimera, euitandũ est. Semper flamma fumo est proxima. Stipula, quum proximat, statim ignem incendi[illegible] oleumq́; flammis adijcit. Quoties fœm[illegible], ex[illegible] te infe[illegible]ri, ut ait Hieronymus, ianuam ingredi, sathaneq́; sagitta penetrari. Fœmina siquidem fuit ab initio peccati aucupatrix, eritq́; semper inexhaustus malorum fomes. Quod non ignorans Origines, Fœminam inquit esse peccati caput, diaboli arma, paradisi expulsionem, delicti matrem, antiquæ legis corruptionem. Nullum extat in fœmina membrum, quod uel auaritiam, uel latrocinium, uel proditionem, uel ingluuiem, uel luxuriam, homines brutificantem, non redoleat.

Pro

Pro quibus explendis, quid contra ius, fasq; perpetrauerit, tum maiorum, tum minorum exemplorũ adeò latus est cãpus, ut satius sit tacere, quàm pauca dicere. Nunquam alta excogitabit, qui fœminarum accessibus gestiat. Scortum si, ut cœpisti, consectaberis, ex plumoso statim glaber fies, uiuamq; ad cutem tõdeberis. Illud enim, ut nõ inscitè à Plauto scibitur, mare est, ut est: quod des, deuorat, nunquam abundat. Imò mare nõ est mare, sed meretrix mare est acerrimum. Aethiope dealbat, qui fœminam collaudat. Bonam uel nullam, uel phœnice rariorem comperies. Ecquid demũ coitus est, nisi uirium eneruatio, & ut Hippocrates prodidit, Leuis quidam morbus comitialis? Quapropter interrogatus Pythagoras, quando concumbẽdum esset? Cum te ipso, respõdit, infirmior fieri uolueris. Vulgatum est & apud Græcos adagium de Milesijs, qui luxu nequitiaq; diffluentes, omne uirilitatis robur perdiderant, πάλαι ποτὲ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι: id est, Milesij quon-

dam fortes, ac si euiratos effœminatósque diceret. Cur igitur porcus ex Epicuri grege inuolueris? cur latrinæ stercore depasceris? cur sentinæ sordes imbibis? cur Sardanapali incentiuis ad libidinem plumis obdormitas, stertisq́; quinta dum linea tangitur umbra? Nōne in mentem uenit Epictetus ille philosophus, qui interroganti Hadriano Imperatori, Quídnam amor esset? respondisse fertur: Ociosi pectoris molestia, in puero pudor, in uirgine rubor, in fœmina furor, in iuuene ardor, in sene risus, in derisore delicti nequitia. An ignoras, luxuriam leonino capite, serpētináque cauda depingi? Quoniam Voluptati soror est Tristities, & Pœnitētia, Mœrorq́; comites subsequūtur. Facile Sirenum cantus præterit, qui Vlyssem agat. Veneris stimulos diffringes, si ocium fugias, studium frequētes, contemplatione rapiaris, ab immodico cibo uinoque abstineas. Ociosa quippe mens per illicitas sæpius cogitationes euagatur, à quibus abest semper sublimium rerum medita-

meditatio. A Comico insuper poëta doceris, Sine Cerere & Baccho Venerem frigescere: quia, ut Hieronymi uerbis utar, Proxima sunt ori genitalia, Vinũ, in quo (teste Apostolo) luxuria est, ebrietatis incestusque origo fuit. Noe primùm reperto à se uino inebriatũ, & demum à filio derisum, constat. Lothum, pium patrem, cum filiæ inebriassent, ad incestum atq; infandum concubitum illexerunt. Vt homini cicuta uenenum est, ita & uinum: sc[illegible] Aristoteles ad Alexandrũ. Nec iniuria Anacharsis retulit, uitem uuas tres producere: unam scilicet uoluptatis, alteram ebrietatis, tertiam contumeliarum. Retulit & Aesopus, primum craterem ad sitim, secũdum ad hilaritatem, tertium ad uoluptatem, quartum ad insaniam pertinere. Dido Vergiliana exoptat in mensa Bacchum, lætitiæ datorẽ: quòd & alius sit furoris minister, qui Alexandrum illũ Magnum impulit ad interimendum conuiuam, quo proximiorem chariorem que habebat neminem: nec non ad

diruendam Persepolim, conspicuum totius Orientis caput. Longè plura dicerem, nisi hac de re uberius scripsissem eo in opere, quod De domesticis externisque conuiuijs inscribitur. Vt igitur receptui canam, summatimque cum Hieronymo concludam: Non tam Aetnæi ignes, Vulcania tellus, non Vesenus & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuueniles medullæ, uino plenæ, & dapibus inflammatæ. Vale. Et memineris, luxuriosam [illegible]am, senilem esse pœnitentiam.

6

Tẽporis iactura nihil esse neq; perniciosius, neq; detestabilius.

SIcuti & assentari nescio; ita & mẽtiri nõ possum. siuel illud, uel hoc possem, neq; in te neq; in alios certè abuti uellẽ: Domitianum uidelicet imitatus, agnitos postremò à se adulatores reijcientem: & Epaminundam, ne in loco quidẽ mentientem. Assentari, parasiticum est: mentiri uerò, in quod grauiter apud Per

sas

sas animaduertebatur, aut fraudulentũ, aut irrisorium. Socrates, qui primus moralem philosophiam ex cœlo in terram deduxit, nefas esse arbitrabatur, aut ueritatem occulere, aut mendacium concedere. Ne asellus in pungentem recalcitres, errantemque in uiam ducenti æquè gratias, ac terrestri deo agas. Homo namq; homini deus est. Vtar autem Laconica dicendi breuitate, ut intelligas, posse me & angusta copiose, (ut à uerbo absit inuidia) & copiosa strictim differeré. Non possum non succensere, te natũ esse, ut tantum numerus sis, ac fruges absumas, brutumque referas, non hominẽ: nec certè uideas, nisi solum quod adest, quodque præsens est, uti bestia rationis expers: qua qui abutitur, is est iure inter pecora cõnumerandus. Si Sisyphi saxũ reuolueres, non ita sineres iuuentam in uentum abire, nec esses Pythagorę obliтus, præcipientis duo tẽpora esse quàm maximè consideranda, manè scilicet, & uesperam. Ob id aiebat Cato, reddendam esse ocij rationem. Scribit & idem,

cui Cicero astipulatur, primum Scipionem Africanum nunquam minus solú fuisse, quàm cum solus: nec minus ociosum, quàm cũ ociosus esset. Ociũ quippe absque literis, mors est, inquit Seneca, ac uiui hominis sepultura. Antoninus Pius insequentis temporis adeò habendam rationem ducebat, ut à minimo quoque sciscitaretur, quid'nam de se diceretur: emendans, quæ bene reprehensa erant. Temporis iactura nihil est neque perniciosius, neque detestabilius. Lucro apponitur, quicquid uel die uel nocte elaboratur. Solon unus ex septem Sapientibus, dicere solebat, Se quotidie aliquid addiscentem consenescere. Plato ita libros affectabat, ut rex Dion suis diceret: Aristippus semper pecunias petit, Plato semper libros. Ingrediens lectum Aristoteles, plumbea manu pilã sumebat, quę cũ in subiectũ uas æneum decideret, dormientẽ ad studiũ excitaret. Cleanthes puteorum aquas hauriebat, noctuq; hortos irrigabat, ut interdiu cómodius posset in studium

dium philosophiæ incumbere. unde uulgò φρεαντλης, id est, hortorum irrigator cognominatus est. Apelles, picturæ uenustate insignis, nunquam tam occupatam diem egit, quin artis lineam duceret. Quod & in prouerbium cessit, Nulla dies sine linea. Plinius perire omne tempus arbitrabatur, quod literis non impertiretur. Tanta illi erat temporis parsimonia, ut quum lector quædã perperam enunciata repetijsset, dixerit, Ea interpollatione se amplius decẽ uersus perdidisse. Origenes neq; cibum sumebat absque erudita lectione, neque manus habuit unquã pugillari uacuas. Semper meditabatur Hieronymus, quod ad Dei tabernaculum offerret. Augustinus Hieronymum obnixè orat, ut se non tanquam in Scripturarum campo ludentem, sed in montibus anhelantem adiuuet. Qui quamuis & senex & episcopus esset, tamen paratus erat, ut ipse inquit, à puero nondum anniculo edoceri. Taceo numerosam exemplorũ syluam, ne ea compositò coegisse in unum uidear,

ad inanem potius ostentationem, quàm ad legitimam tui & admonitionem & reprehensionem. Vt præterita unda relabi nequit, ita nec elapsum tempus reparari. Secunda currus rota, tametsi eodem in temone, nunquam tamen potest primã attingere. Ad quod alludens Persius, sic ait, in ignauum, ad meridiem usque stertentem:

Nam quamuis prope te, quãuis temone sub uno,
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.

Arbitraris fortitan semper imberbes te malas habiturum. O quantum est in rebus inane? Si mortales eodem in statu usquequaque permanerent: frustra igitur hominem, & Cato bullam, & Seneca uas quassum, fragileque iactatu nũ cupasset. Frustra Manilius cecinisset,

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Frustra senex ille Idumæus exclamaret, Sese sicut fœnum aruisse. Quorsum idem defleret, hominem quasi florem egredi, conterique, ac uelut umbram aufugere? Quorsum Antiquitas Genio flo

res offerebat, nisi ut esset quàm ocyssimæ uitæ non immemor: quod flos manè uirescens, & ante uesperam arescens, humanæ uitę typum imaginemque præ se ferat? Nemo nostrûm est mane, qui (ut refert Seneca) pridie fuerit: quum fluminum more rapiamur, interque loquẽdum immutemur. Quemadmodum fluctus fluctum, sic & dies diem trudit. Vnde fit, ut non ab re Flaccus dixerit,

Singula de nobis anni prædantur euntes.

Quid plura? Si longissimam nostram uitam cum æternitate conferas, in eadem penè breuitate erit, qua bestiolę quædam sunt, quas Aristoteles Ciceroque commemorant apud flumen, ab Europa Pontum influens, uno eodemq; die & nascentes & morientes. O quàm uerissimum est Horatij carmen,

Vitæ summa breuis spẽ nos uetat inchoare lõgã.

Multa siquidẽ inter os & offam, multa inter manum & mentum, multa inter calicem & suprema labia accidere possunt: sicuti Anteo, Antinooque, ac Chalcanti euenisse legitur. Vt obiter Andra-

goram, Cornelium, Senecionem, Cæsares duos, A. Pompeium, L. Vallá, Iul. Medicum, Appiū Sanseium, Anacreontem poetam repentino, inopinoq; fato oppressos conticescam. Ista, & id genus alia pensitabis, si tibi occurrerit Ouidianum hoc distichon:

Dum uires anniq; sinunt, tolerate labores:
Sic uobis nullum tempus abibit iners.

Præpares senectuti non iniussum à Platone uiaticum, nullique casui obnoxium, ut quò te conferas, illud tecum, tanquam securus Bias, deportes. Inexhaustum indefessumque Herculem imiteris, qui in ea, qua tu es adolescentia uoluptuarias omnes illecebras abdicauit, seq; uni tantū uirtuti addixit: quòd uoluptas momentanea sit, ut uoluit Plato, malorum esca: uirtus autem, æterna laborum merces. Neq; Achillem aspernandum putes, qui breuem, ut est apud Homerū, uitā maluit cum gloria, quàm longissimam absq; gloria. Semper Catonem præ oculis habeas, quem affirmat Cicero ita ad extremam usque senectu

tem

tem uixiſſe, ut ſe fruſtra natum non exiſtimaret. Vale.

7

Quòd pueri ab optimo præceptore candidis tum literis tum moribus ſunt imbuendi.

SPero certè pilam fore meam, Franciſce amantiſsime: ſi neq; tu ſis rubo arefacto præfractior, neq; ego aſellum malè parentem in rupes protruſerim. Adhuc haſtam non abijcio nec harenæ cedo: in quam quum tecum digladiaturus deſcenderim, haud in retiarium, ſi ſapias, ferula depugnabis: ſed digitum exeres, herbāq;, ni fallor, porriges. Neque Turnum pudebit Aeneæ manu cecidiſſe, imò toto audiente theatro, exclamabis: Tua eſt, Fauſte, Lauinia coniūx. Coſtas uerò minus tranſadigā, ut te demū pœnitentem intuear: neq; præceptoris monita, ueluti aquam in mortario cōtundentē. Quis non mare cœlo commiſceat, ut eandem cantilenam recinā, quum tu uix pubeſcens, ſtudeas quotidie,

die, nunc hoc, nunc illud scortum demolere: ut salax ille iuuenis, à Catone Censorio redargutus, quòd semper fornicem inhabitaret. Et quòd iniquiore animo est ferendum, à pedagogo non modò non reprehendaris, sed tota impunè Suburra p̄mittaris sparsisse oculos. Ambo certè digni estis, qui ad Areopagum citemini: cui nisi utriusq; uitæ ratio cóprobetur, haud mediocrē, ut par est, pœnam luetis. Non ita profectò lasciuires, si fuisses ab eo, ut decuit, hæc edoctus: iccirco pueru prætexta indui, ut ex purpuræ rubore, ingenuitatis pudore tegatur: cordisque figuram in bulla, ante illius pectus annecti, ut eam inspiciens, mum se hominem cogitet, si corde præstiterit. sumpta autē uirili toga, amplius non oportere nucibus ludere: nec à senis latere, quoad posit, & liceat, unquā discedere sicuti & Alcibiades à Socrate, & Cicero à Scęuola, aut rarò, aut nū quam abscesserunt. Vt uerum uideatur, quod à Satyrico poeta conscriptum est,

Quædam cum prima resecētur crimina barba.

Alia

Alia uita, alia diæta: alij dies aliam uitã, aliosque mores postulant.
Non eadem est ætas, non mens.—

Paulus, Christi apostolus, quum esset admodum paruulus, omnia ut paruulus & loquebatur, & agebat. Demum uir effectus, omnino paruulum euacuauit, ue tusque fermentum expurgauit. Præceptor, qui non tam literis quàm moribus insignitur, est cùm ab alijs, tum à te potissimum eligendus. Oportet enim puerum, si Aristoteli est credendum, perinde à pædagogo, atque cupiditatem à ra tione gubernari. Natura tenacissima est eorum quæ rudibus animis perceperit, iuxta Flacci carmen:

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.—

Verùm deteriora usq; adeò tenacius inhærent, ut elui possint nunquam: quã do facilius bonum in peius, quàm in bonum uitia conuertantur. Spartani ciuiũ suorum oculos à contemplanda Asiatica Ionicaque luxuria retraxerunt: cum aliquãto faciliorem uirtutis ad luxuriã,

quàm

facere utrumque non posśis, non longè melius esse bene uiuere, quàm plura sci re. Percunctante quopiam, Quae'nam pueris discenda forent? Hæc inquit Agesilaus, quibus uiri usuri sint. Sed quoniã Horatius memoriæ prodidit, Neminem absque uitijs nasci, optimumque esse qui minimis urgeatur: præceptoris uirtutes, non uitia sunt imitãda. Sicuti Romæ Apher quidam, qui præceptoris alioqui eruditiśsimi se omnino æmulum putabat, si eius linguæ stridorem, & oris tantum uitia exprimeret. Neque uitij esse ait Hieronymus, hominem unum laudare in alijs, & in alijs accusare. Extollit in Tertulliano ingenium, sed hæresim damnat. In Origine miratur Scripturarum scientiam, non tamen recipit dogmatum falsitatem. In Didymo & memoriam, & super Trinitate fidei puritatem prædicat: in cæteris, quæ Origeni malè credidit, ab eo se retrahit. Quemadmodum doctus præceptor ambobus (ut aiunt) brachijs strictim est amplectendus: ita & indoctus ma-

nibus

nibus pedibusq; reijciendus. Nemo nõ esurit, qui cum famelico degat. Ex imperita officina, non nisi expers artifex exit. Mali corui malum ouum nascitur. Mala arbor haud bonos fructus parit. Alcibiades pugno magistrum percussit, qui se non intelligere Homerum fatebatur, adiuitque alium Homeri non ignarum. Alexandro Magno impensius adhęreas, dicere solito, se à Philippo patre uiuendi, ab Aristotele uerò præceptore bene uiuẽdi rationẽ & causam esse assequutũ. Philippus epistolam ad Aristotelem scripsit, qua dijs gratias agebat, quod sibi contigisset Aristotelis temporibus Alexandrum nasci. hoc etiam de Socrate fecisse Platonem constat. Iurè igitur cecinit Iuuenalis,.

Dij maiorũ umbris tenuẽ, & sine põdere terrã
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum uer,.
Qui præceptorem sancti uoluere parentis
Esse loco. — Dedi absynthium melle, ut sentis, conditum. Dulcia uermes nutriunt: amara uerò aut expellunt, aut enecant. Vale.

Labo-

8

Labores ocio anteponendos.

EST mihi sanè quàm difficilimum, Philippe, omnium quos terra sustinet ignauissime, aut Aruncam aut Venusinā in te Satyram non scribere: qui in utranque aurem, ac utrunq; in oculum, ceu uitulus marinus: ita obdormites, ut à Somno ipso uidearis eo ramo quassatus, quo Vergilianus Palinurus soporatus depressusq́; est: nec à graui isto lethargo queas, neq; à me, neq; ab alio excitari: quamuis aqua calidissima abluaris, uoceq́; Stentorea iterum atq; iterum conclamiteris. Gliris somno turgescis, quòd dubiæ cœnæ assuescas. Aesopi patina soporem irritat. Ad naturæ necessitatem somno est indulgẽdum: quod amplius est, ad inertiam perniciemq́; est. Additur uitæ, quod somno demitur. Nam dum aliquid, ut ait M. Varro, mussitamus, plurib. certè horis uiuimus. Audi quid de somno, ut alios interim conticescam, dicat Ouidius:

Stulte, quid est somnꝰ, gelidæ nisi mortis imago?

Longa quiescendi tempora Fata dabunt.

Disce & à Plinio, gallos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno, esse à Natura genitos: cum sole cubitũ euntes, quintaq; castrensi uigilia ad curam laboremq; reuocantes, nec solis ortum incautis pauentes obrepere. Agesilaus, Lacedæmoniorũ rex, somno eo, ut refert Plutarchus, utebatur, non qui imperaret, sed cui à rebus gerendis imperaretur. Alexander Magnus dicere solebat, duab. se potissimum causis mortalitatem fragilitatemq; humanam intelligere, somno scilicet, & coitu: quas sola naturæ infirmitas páreret. Studio aduersatur somnus. Illud elucubratiõis est, hoc autem aut laxationis, aut desidiæ. Simul flare sorbereq; difficile est. Nasturtiũ, quo Persæ pro somno utebãtur, non papauer tibi est edendum. Nec eorum similis efficiare, qui & ocium laboribus, & rubiginem splendori præstare putant. Si tuis te pingo coloribus, mihi tamen isthic neq; seritur, neq; metiẽ. Nolo tibi esse nec tutor, nec patruus.

Sed

Sed ne à more Horatiano sim alienus, alba linea omnẽ uitę colorẽ exęquo. Satyricorũ partes sunt, ne sibi quidẽ ipsis parcere, ut demũ in alios tutius liberiusq; inuehantur. Tutò linguá cótra cæteros stringit, qui anteriore sese mática intueatur. Est enim scenico non indignum, si

Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum:
In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres:
— Et de uirtute loquuti
Clunem agitent. —

Nemo nó nouit Ciceronianũ in Catilinã morsum: debere omni uitio carere, qui in aliũ sit paratus dicere. Ecquid demum inertia est? nisi nascẽs in latebris lãguor, ex ocio torporeq; proueniens? quæ quidem ab Athenienſib. nõ aliter in forum, quàm delictũ aliquod protrahebatur, ut ad laborem industriamque excitaretur. Tibi autem quidem uellico, cæterùm Penelopes telam retexo: quum tu cuculo, lacerta, lupo ceruario, ac Curione sis obliuiosior, adeò mentem habes Cimerijs tenebris atriorem. Non forsan culmos excutiam in eos,

qui albis affectant equis præcedere, quique tuo ipsius exemplo deterreátur ab huiuscemodi inertia. Optimum est, aliena bene uti insania: iuxta carmen illud uulgi sermone protritum,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Vale.

9

Quòd ideo epistolas scribat adagijs scatentes, quia paucis magna & moralia complectuntur

NOdum, Andrea, si in scyrpo quæris, & apinas tricasq; inuestigas, cũ à me petis, cur epistolas scribã, undiq; adagijs scatentes, uixq; ab Apolline intelligibiles, iuxta epigrãmaticũ illud,

Non authore tuis opus est, sed Apolline uerbis.

Filum disrumpam, mansumq; in os inferam, posteaquam mãmæ lallare, & buas atque papas infantiliter balbutire non desinis, ne scilicet uidearis aquã ex pumice aut ab asino lanã postulare, linũq; lino cõnectere: & ab eo uelle nandi modum ediscere, qui nunquam uel cortice uel uesica natauerit. Ego, ut scias, non consul-

consultò scribendi stylũ obscuro,ut tenebras iudicibus offundam,sicut & Nigidius Figulus, & Heraclitus Ephesius de industria fecere:quorũ ille uulgò culpatus est, hic Scotinos cognominatus, ob immodicã,quam affectauit,intelligẽdi cæcitatẽ:sed ne claudi more pilã tenere censear,tentandã esse orbitã duxi, nulli hactenus protritã,

— Qua me quoq; possim
Tollere humo, uictorq; uirûm uolitare per ora.

Ingenerosum est, ut ait Seneca,sapere solum ex commentario. Nullum certè preuium sequor:uel pessimum uel optimũ,ducem me ipsum habeo.Publicã uiam perambulat uel occæcatus Phineus.Non utendum est aliorum filo.Nam crambe bis posita, ut Græcorũ parœmia fertur,mors est.Si non detur cacumen ascendere,laus erit,radici non adhesisse.In magnis,ut inquit Propertius, & uoluisse sat est. Quid utilius habes prouerbijs?quæ succosa breuitate uberiorem sensum, moralemque disciplinam complectuntur. Prout agit & Sa-

quà deueniat ad mare, cum oportet am nem quærere, comitem sibi. Quisquis manibus pedibusq; adnititur ueritatẽ in profundo, ut uoluit Heraclitus, demersam indagare, necesse est doctorem, uti Sybilla Phœbæo numine destituta Musæũ, interroget, neq; indocto se cõmittat. Nã si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam deciderint. Rara profectò auis est, eum fieri magistrũ, qui nunquã manum ferulæ subduxerit. Tametsi Manilius Senator, L. Apuleius, Syssariõ statuarius, & diuus quoq; Augustinus, insignes doctore nullo fuerunt. Ver non una hirundo, nec æstatem calidus unus dies efficit. Vale.

FAVSTI, POETAE REGII, Carmen in obitum Guidonis Rupefortis, Franciæ Cancellarij nunquam satis laudati.

Corruit heu uulso fortis munimine rupes,
Qua sedes Clarij stabat amœna chori.
Gratam iterum toto sedem quæsiuit in orbe,
Nec compos uoti est Musa nouena sui.
Alta igitur raptũ sequitur sup astra Guidonẽ
Hinc cæca, extincto lumine, terra iacet.

Idem de eodem.

Haud nouit forti thesaurum rupe latentem,
Proh caeco ignauus pectore Gallus erat,
Mulciber irato fossus Ioue iussus ab antris
Extulit, in superos deposuitq́; polos.
Assequitur tanto rectos pro munere gressus,
Vnde fit Idaliae gratior ille Deae.
Nec curat, tanta est directi gratia tali,
Martia lasciuo membra fouere sinu.
Amissum infelix thesaurum Gallia deflet:
Sed quae tarda uenit, uana querela uenit.

Idē de Ioanne Ganeo, Guidonis Rupe-
fortis quàm dignissimo successore.

Ecquis Palladij subnixus mente, negabit,
Omnibus alternas rebus inesse uices?
Ecce iterum lux est tenebroso reddita mundo,
Et redit amato pristina forma chao.
Sed nulla est Franca tellus illustrior ora,
Tanta relucentis lumina solis habet,
Nam mens astrigero Ganeus ab orbe retraxit
Francica laurigeras in loca sancta deas,
Quas secū insignis Francae moderator habenae
Duxerat in superas Guido beatus opes.
In noua sic abijt conuersus gaudia mœror,
Nec minor est Francis fama renata plagis.
Durat Ioannes, ceruo uiuacior ipso,
Lumini ne rursus terra sit orba suo.

Gilberti

er derē, ty
quibu
o un
agn
ptur com
od cū gini
scriptū h gita
t mihi c arit
t n pler aqu
n e accc . Hę
quò quæ
ūtur: uor
in omn nt
qu me i
bere . (ac
gasse eor f
mor emissus
scri m initiò decreuerar
que es uelim, me hac d
c m in te concepisse:
rè scr sisse, ut ab hoc e
osth abstineres. C ò
Iu is i lá e
miser mal ius ing
id ub iget, ipsum o g
Bbb trus

præter formam natura inuidet. Homuncio est: nasci ex mea familia debuit, cui Paruorum hominū est cognomē. Vir est eloquēs, iuris utriusq; consultus. Historias omnes nouit. Poeticæ peritus est. Carmē facit & Latinū & Tuscū. Philosophiæ tā scius, quàm Plato. Geometer, Boetius. In numeris, Macrobio similis. Nullū instrumentum ignorat musicū. Agriculturā quasi Virgilius nouit. Nihil ciuile ignotū uiro. Dū iuuenili adhuc stabāt in corpore uires, alter Entellus erat, luctādi magister. nō cursu, nō saltu, nō cæstu poterat superari. Preciosiora sunt interdū parui corporis uascula, ut gemmæ lapilliq; testantur. Nec ab re fuerit, illud in hunc referri, quod de Tydeo scribit Statius:

Maior in exiguo regnabat corpore uirtus.


Dij formā huic homini & immortalitatē si dedissent, is etiā erat deus. Sed nemo fortitus est omnia. Inter mortales nullū adhuc noui, cui pauciora quàm huic defuerint. Quid quod minutissima etiā didicit? Quasi alter Apelles, sic pingit. Nihil emēdatius est, nihil

 lucidius,

lucidius, quàm sua manu scripti codices. Sculpsit, ut Praxiteles. Nec medicinæ ignarus est. Adde uirtutes morales, quæ alias regũt, ducuntq;. Noui meis diebus plerosq; studijs literarũ deditos, & disciplinis qui admodũ abundabãt: sed hi nihil ciuilitatis habebãt, neq; rẽ publicã, neq; domesticã regere norãt. Stupuit Paglarensis, & furtim uillicum accusauit, qui suem fœtã undecim porcellos, asinã unum dũtaxat enixã pullum retulerat. Gomicius Mediolanensis grauidum se putauit, diuq; partũ ueritus est, quia se uxor ascẽdit. Hi tamẽ iuris maximũ lumẽ habiti sunt. In alijs præterea uel fastũ uel auaritiã inuenies: hic perliberalis est. Plena illi semper domus est honestis hospitib. Nulli aduersus est: pupillos tuetur, ægros solatur, pauperibus subuenit, uiduas iuuat, nulli indigenti deest. Vultus eius, quasi Socraticus, semper est idẽ. In aduersis fortẽ animũ præbet. Nulla fortuna inflatur. Versutias, non ut exerceat, sed ut caueat, quaslibet nouit. Ciuibus dilectus est, peregrinis amatus. Nulli o-

diosus

diosus est, nulli grauis. At homo tantarũ uirtutũ, cur nũc rem leuiusculã exigat, nõ scio. Illud scio, nihil me illi negare phas est. Eum namq;, dum Senis essem, unicè dilexi. Nec diminutus est amor, quãuis separatus sit. Is quoq;, dũ esset cæteris naturæ dotibus præditus, tamen hoc maximè dono pollebat, ut nullius erga se sterilẽ esse amorẽ sineret. Huius ergo rogatus nõ cẽsui respuẽdos: scripsiq; duorũ amantium casus, nec finxi. Res acta Senis est, dum Sigismundus Imperator illic degeret. Tu etiam aderas: & si uerũ his auribus hausi, operam amori dedisti. Ciuitas Veneris est. Aiunt, qui te norunt, uehementer quòd arseris, quodq; nemo te gallior fuerit. Nihil ibi amatoriè gestum, te inscio, putant. Ideo historiam hanc ut legas precor, & an uera scripserim uideas. Nec reminisci te pudeat, si quid homini nõnunquam euenit tibi: homo enim fueras. Qui uerò nunquã sensit amoris ignẽ, aut lapis est, aut bestia. ipsum nanque uel per deorum medullas non latet ignea fauilla. Vale.



AENEAE SYLVII Epistola ad Marianum Sozinum, petentem componi Tractatum.

AENEAS SYLVIVS, POETA, *imperialisq́; Secretarius, Mariano Sozino, utriusq; iuris interpreti, & conciui suo,*

S. P. D.

REm petis haud conuenientē ætati meæ, tuę uerò & aduersam, & repugnantem. Quid enim est, quod uel me iam penè quadragenariū scribere, uel te quinquagenarium de amore conueniat audire? Iuueniles animos res ista delectat, & tenera corda deposcit. Senes autem tā idonei sunt amoris auditores, quàm prudentiæ iuuenes. Nec quicquam est senectute deformius, quæ Venerem affectat sine uiribus. Inuenies tamen & aliquos amātes senes, amatum uerò nullum. Nam & matronis est, & puellis, despectum senium. Nullius amore tenetur mulier, nisi quem uiderit ætate florentem:

rentē: si quid aliter audis, deceptio subest. Ego uerò agnosco amatorium scriptum mihi non conuenire, qui iam meridiem prætergressus, in uesperum feror. Sed non minus me scribere, quàm te poscere dedecet. Ego tibi debeo morigerus esse: tu uide, quid postules. Nā quanto es natu maturior, tanto æquius est parēre amicitiæ legib9: quas si tua iustitia nō ueretur mandando infringere, nec stultitia mea transgredi timebit obediendo. Tua in me tot sunt beneficia, ut nihil negare petitionum tuarū queā, etiam si admixtum sit aliquid turpitudinis. Parebo igitur petitioni tuæ, iam decies multiplicatæ: nec amplius negabo, quod tāto postulas desiderio. Nō tamē, ut ipse flagitas, fictor ero: nec poetica utemur tuba, cū licet uera referre. Quis enim tam nequam est, ut mentiri uelit, cum uero se potest tueri? Quia tu sæpe amator fuisti, nec adhuc igne cares, uis tibi duorū amantū ut historiam texam.

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.

Ero moriger9 cupiditati tuæ, & hāc ni-

mis ægri caniciẽ prurire faciã. Nec fingam, quando tanta eſt copia ueri. Quid enim eſt, toto terrarum orbe, amore cõmunius? Quæ ciuitas, quod oppidum, quæ familia uacat exemplis? Quis trigeſimum natus annũ, amoris cauſa nullũ peregit facinus? Ego de me facio conie cturam, quẽ amor in mille pericula miſit. Ago ſuperis gratias, quòd ſtructas inſidias millies fugi. Fœlicior aſtro Martis, quẽ Vulcanus cum Venere iacẽtem ferreo illaqueauit reticulo, deridẽdúmque dijs cæteris oſtentauit. Sed alienos potius, quàm meos amores attingã: ne dũ uetuſti cineres ignis euoluo, ſcintillulã adhuc uiuentem reperiã. Referam autẽ mirũ amorem, peneq; incredibilẽ, quo duo amantes, ne dicã amentes, inuicem exarſere. Nec uetuſtis aut obliteratis utar exemplis, ſed noſtri temporis ardẽtes faces exponã: nec Troianos aut Babylonios, ſed noſtræ urbis amores audies. quamuis ex amantibus alter ſub Arctoo natus fuit cœlo: forſitan & hinc ſugere aliquid utilitatis licebit. Nam

Nam cũ puella, quæ in argumentũ uenit, amatore perdito, inter plorandum mœstam & indignantem exhalauerit animam, alter uerò nunquã post hoc ue rę lætitiæ particeps fuerit, commonitio quidẽ iuuenibus erit, ut abstineant nugis. Audiant igitur adolescẽtulę, & hoc edoctæ casu uideant, ne post amores iuuenum se eant perditum. Instruit hæc historia iuuenes, ne militiæ mulierũ se accingant: quę plus fellis habent, quàm mellis. Sed omissa lasciuia, quæ homines reddit insanos, uirtutis incumbant studijs, quæ possessorem sui sola beare possunt. In amore autem quot lateant mala, si quis aliunde nescit, hinc poterit scire. Tu uale, & historiæ, quam me scribere cogis, attentus auditor esto.

AENEAS SYLVIUS ILLVstriss. principi Sigismundo duci Austriæ, Domino suo, S. P. D.

Epistola, quæ iuueni non esse negãdum amorem dicit.

EFflagitasti modestè à me pridiè, tibi ut amatoriam alicuius Epistolã mit-

terem: cuius exemplo suadere posses uirgini, quam diligis, ut amare te sineret. Alius tibi fortè hoc negasset, timẽs ne prolabereris: ego annuendum duxi. Scio nanq; humanæ uitæ cõditionem. Ná qui non amat in adolescentia, in senio amat: quo tẽpore derisui est, & uulgi fabula, quoniá ętas illa amori inepta est. Nosco præterea amoris consuetudinẽ, qui in iuuentute torpentes uirtutes excitat: hunc in armis exercet, illũ in literis: & studet quisq; id agere, propter quod amicæ placeat. Et quia uirtutes nomẽ bonũ faciunt, uirtuti dat operam qui amat, ut ante puellæ faciem laudetur. Et quanquam hoc ineptum uirtutis præmium sit, probabile tamen est, quacunq; ratione uirtutes adipiscaris. Adolescentes insuper non sunt nimiũ cohibẽdi, ne languidi & inertes fiãt, permittẽdusq; his est aliquis ludus. Indulgendũ est aliquátisper uoluptati eorũ, ut animũ & cor sumát, ut sciant malum & bonũ, ut uersutias mundi noscant: illasq;, cũ uiri facti fuerint, euitare sciát.

Hac

Hac de causa gessi moré uoluntati tuæ, & optatam epistolá hac conditione tibi transmitto, ut amás non negligas studia literarum: sed, quéadmodú apes ex florib9 mella decerpũt, sic tu ex amoris blanditijs ad uirtutes uenêris. Vale. ex Gretz, die 13. Decéb. anno Dñi 1443.

Sigismundus, Austriæ Dux, S. P. D. & seipsum dat singulari Dominæ suæ, insigni & formosissimæ uirgini, Lucretiæ, regis Daciæ filiæ.

VOlui te sępius alloqui, amoréq; meũ tibi notum efficere: sed ætas mea nimis adhuc uerecũda est, quę nõ patitur quod intra me sẽtio, foris exire. Quamprimũ incipio loqui, mox rubor adest, timor impedit, & medijs uox in faucibus hæret, nec cogitata possum effari. Timeo modestiã tuá, ne me arguat. Vereor astantes, ne me derideát. Horresco meipsum, ne balbutiens fiam. Ac de te quod statueram dicere, decreui literis committere. Quia epistola non erubescit, non suspirat, non timet quéquam.

Forsitan

Forſitan arduum aliquid & perdiſſicile poſtulaturum me putas. Parum eſt, quod uolo: at ſi mihi conceſſeris, multum exiſtimabo. Ego enim, modeſtiſsima uirgo, fateor me tui amantem eſſe, captumq; tui uultus ſplendore: nec alia die noctuque cogito, quàm te. Tu mihi ſemper es in mẽte: te in corde, te in animo gero. Tu meũ deſiderium es, tu ſpes mea, tu quies, tu refrigeriũ. Cum te uideo, quieſcit animus meus, & ſe oblectat. At cũ abes, nec te cernere poſſum, magis urgeor ſtimulis: nec aliud meditor, niſi ut quamprimùm reuiſam. Hoc multiplici de cauſa factum eſt. nã & forma & honeſtas in te concurrũt. Laudãt Helenam poetæ: at ego illam non exiſtimo tibi fuiſſe ſimilem. Nec Polyxenam tibi comparauerim, aut eam quam dilexit Hercules Deianiram. Tu omnes uincis & pulchitudine, & moribus. Quaſi altera Philomena, à calce uſque in uerticem, nulla eſt in te menda. Crines tui ſplendorem auri ſuperant. Frons alta & ſpacioſa eſt. Supercilia in arcũ tenſa, de

bitis

bitis ſpacijs extinguuntur. Oculi tui, tanquam duo emicant ſidera: inde ſagittas emittis, & uulneras iuuenes. Hinc, quos uis, occidis: & quos uis, uiuificas. Naſus, ſuis cõueniens partibus, faciem mirificè honeſtat. Genas candore niueo reſperſas, modeſtus rubor interſecat. Quid labia corallina, & cryſtallinos referam dentes, & omnes oris tui partes, unde melliflua manant uerba? Hinc riſus ille progréditur, qui me ſæpe ad intima penetrat. O` uirum fœlicem, qui labia illa mordebit, qui tales oſculabitur genas: qui mentum tuum, & candidiorem Scythica niue gulam tuam poterit tãgere. Nolo pectoris tui, & illorum pomorum quæ ibi latent, mentionem efficere, ne referens nimis ardeam. Tute ſcis, quàm intrà & extrà formoſa es. Ego magis mirari, quàm dignè cõmendare te poſſum. Hoc tantũ dico, quia mores tui regio faſtigio digni, & forma plus quàm dici poſsit honeſta, ex Duce me ſeruum tibi fecerũt. Tuus enim ſũ: nihil magis cupio quàm

rem

rem gratã tibi efficere. Nec mirũ. Nã & Phœbus, ut inquiunt fabulæ, licet esset Iouis, regis Cretæ (quem uetustas pro Deo coluit) filius, Admeti tamen regis filiam amans, pastorem se fecit, & gregẽ pauit. Ego igitur libens seruio tibi: nec aliud à te postulo, nisi ut amare me sinas: & animo æquo feras, si mihi dicaris amata. Hoc est quod uolo, peto, exigo: nil postulo plus. Fac, tuus ut amator dicar. nã & amator & seruus ero, dũmodo annuas. Confiteor dignã te fore, quam maiores & meliores, quàm ego sum, ament. Esset uix Paris aut Hippolytus dignus amore tuo. Tu tamẽ noli quærere formã. nam & qui pulchri sunt, superbi etiã sunt, nec stabilem habent amorẽ. In me erit amor perpetuus, qui natus in adolescentia mea, flore ætatis crescens, ad seniũ perducetur: dũmodo tu mihi faueas, & me adiuues. Quẽ tamen non debes etiam despicere. nã & mihi nõ negauit Deus mediocrẽ formã. Sunt mihi præterea opes multæ: quæ omnes erũt tuę, si uicẽ amoris repẽderis. Ha, quid

dixi?

dixi? Nimiũ erraui: nõ ut ames peto, sed ut amare me sinas. Hoc si tua ex gratia impetrauero, beatus sũ. Tu quid factura sis, rescribe. Vale animula mea, deliciæ meæ, corculũ meũ. Datũ Gretz, &c.

Historia principalis incipit.

VRbem Senas, unde tibi & mihi origo est, intranti Sigismundo Cæsari, quot honores impensi fuerint, iam ubique uulgatum est. Palatium illi apud sacellum sanctæ Marthę, super uicum qui ad Theophorum ducit, porta structum, paratum fuit. Huc, postquam cærimoniæ peractæ sunt, cum uenisset Sigismũdus, quatuor maritatas obuiam habuit, nobilitate, forma, ætate, ornatuque pares: non mortales, sed deas quisque putauit. Si tres duntaxat fuissent, illæ uideri poterant, quas referunt Paridem per quietem uidisse. Erat Sigismundus, licet grandęuus, in libidinẽ pronus. Matronarũ alloquijs admodum oblectabatur, & fœmineis blãdimentis gaudebat. nec suauius illi quicquam fuit, illustriũ aspectu mulierum. Vt ergo has uidit, desiliens

desiliens equo, inter manus earum exceptus est. Et ad comites uersus ait: Similes´ne unquá his fœminas uidistis? Ego dubi⁹ sum, an facies humanę sint, an angelici uultus: sunt cœlestes certè. Illę oculos humi deijciẽtes, ut uerecũdiores fiunt, sic pulchriores reddũtur. Sparso nanq; inter genas rubore, tales dabant ore colores, quales Indicũ ebur, ostro uiolatũ: aut quales reddũt alba, immixta purpureis rosis, lilia. Præcipuo tamẽ inter eas nitore Lucretia fulsit, adolescẽtula nondũ annos uiginti nata, in familia Camillorũ, prædiuiti uiro Menelao nupta: indigno tamen, cui tantũ decus domi seruiret: sed digno, quem uxor deciperet, & (sicut nos dicimus) cornutũ quasi ceruũ redderet. Statura mulieris eminẽtior reliquis. Comę illi copiosę, & aureis laminis similes, quas non more uirginum retrò fusas miserat, sed auro gemmisque incluserat. Frons alta, spacijque decentis, nulla interfecta ruga. Supercilia in arcũ tẽsa, pilis paucis, nigrisque, debito interuallo disiuncta.

Oculi

Oculi tanto nitore ſplendẽtes,ut in ſolis modum,reſpiciẽtium intuitus hebetarẽt.His illa & occidere, quos uoluit, poterat: & mortuos,cum libuiſſet,in uitam reſumere. Naſus in filum directus, roſeas genas æquali menſura diſcriminabat.Nihil his genis amabilius, nihil delectabiliꝰ uiſu:quę, cum mulier riſit, in paruã utrinq; dehiſcebant foueam. Nemo hanc uidit, qui nõ cuperet oſculari.Os paruũ, decensq;.Labra corallini coloris, & ad morſum aptiſsima. Dentes paruuli, & in ordinem poſiti, ex cryſtallo uidebantur: per quos tremula lingua diſcurrens, nõ ſermonem, ſed harmoniam ſuauiſsimam mouebat. Quid dicam menti ſpeciem, aut gulæ candorem?nihil illo in corpore nõ laudabile.Interioris formæ indicium faciebat exterior.Nemo hanc aſpexit,qui ui ro non inuiderit. Erant inſuper in eius ore multæ facetiæ.Sermo is fuit, qualẽ rumor eſt Gracchorũ matrem habuiſſe Corneliã, ſiue Hortẽſij filiam.Nec ſuauius aliquid eius oratione, nec mode-

ſtius fuit. Non, ut pler ęq;, triſti facie ho neſtatē oſtendebat: ſed alacri uultu modeſtiam. Non timida, non audax: ſed tē peratum uerecundiæ metu uirilē animum fœmineo in corpore gerebat. Veſtes illi multiplices erant. non monilia, non fibulæ, nō balthei, nō armillæ deerant. Redimicula capitis mirifica. Multi uniones, adamantesq́; , tum in digitis, tū in ſerto fuere. Non Helenā pulchriorem fuiſſe crediderim, quo die Paridem in conuiuiū Menelaus excepit: nec ornatiorē Andromachen, cum ſacris Hectoris initiata eſt nuptijs. Inter has & Catharina Peruchia fuit: q̄ paulo pòſt uita functa, Cęſarē in funerib⁹ habuit, qui & gnatum eius militia ante ſepulchrū donauit, quāuis infantem. Huius quoq; mirabilis formę decus elucebat: inferior tamē Lucretia erat. Omnis de Lucretia ſermo audiebatur. Hanc Cæſar, hanc cæteri commendabant, intuebanturq́ue. Quocunque illa uertebatur, eò & oculi ſequebantur aſtantium. Et ſicut Orpheus ſono citharæ ſyluas

ac

ac saxa fetũ fertur traxisse: sic ista homi nes suò, quocunque uolebat, intuitu du cebat. Vnus tamen inter omnes plus ę-quo in illam ferebatur Euryalus Fran-co, quem nec amori forma, nec diuitiæ reddebant ineptum. Duorum & trigin-ta annorum erat, non eminentis statu-ræ, sed lætæ, grataeque habitudinis, illũ stribus oculis, malis ad gratiam tume-scentibus, cæteris membris non sine quadam maiestate decoris, staturę cor-respondentibus. Reliqui curiales, pro-pter longinquam militiam, omnes aura exusti erant: hic, quia & domi abunda bat, & propter amicitiam Cæsaris ma-gna munera recipiebat, indies ornati-or conspectibus hominum reddebatur. Longum famulorũ ordinem post se du cebat. Nunc auro illitis, nunc muricis Tyrij sanguine tinctis, nunc filis quæ le gunt Seres, textis uestibus utebatur. Tum equi tales illi erant, quales in fa-bulis est ad Troiã uenisse Mẽnonis. Ni-hil huic ad excitandũ illũ blandũ animi calorem, magnamq; mentis uim, quam

uocant amorem, præter ocium deerat. Sed uicit iuuentus & luxus. tũ læta Fortunę bona, quibus ille nutritur. Nec potẽs Euryalus sui, ut Lucretiam uidit, ardere puellam cœpit: hærensq; uultui, nihil satis uidisse putabat. Nec impunè dilexit. Mira res. Multi egregia forma iuuenes, sed unum hunc Lucretia: plures honesti corporis mulieres, sed hanc unam Euryalus sibi delegit. Non tamẽ hac ipsa die uel in se flammam Lucretia cognouit Euryali, uel ille Lucretiæ: sed amare se frustra uterq; putauit. Vt igitur cæremonijs sacro Cæsaris capiti paratis modus fuit, & illa domũ reuersa, in Euryalũ tota, & in Lucretiam totus Euryalus ferebaẽ. Quis nũc Thisbes & Pirami fabulã demireẽ, inter quos notitiã primosq; gradus uicinia fecit? quippe domos habuere contiguas, tempore creuit amor. Hi nusquam prius se uiderant, nec fama cognouerant. Hic Franco, & illa Etrusca fuit. Nec linguæ commercium intercessit, sed oculis res tantum gesta est, cũ alter alteri placuisset.

Saucia

Saucia ergo graui cura Lucretia,& igne capta cæco,iam se maritatam obliuiscitur. Virum odit,(& alens Venereum uulnus,infixos pectori tenet Euryali uultus. Nec ullam membris suis quietem præbet, secumq;: Nescio quid obstat, ait,ut amplius uiro hærere nequeā. Nil me iuuat eius amplexus, nil oblectant oscula,fastidia uerba ingerunt. Peregrini semper ante oculos est imago, qui hodie propior erat Cęsari.Excute conceptas è casto corpore flammas, si potes,infelix.Si possem,non essem ęgra,ut sum.Noua me uis inuitam trahit. Aliud cupido suadet,aliud mens.Scio quid sit melius ,quod deterius est sequor. O ciuis egregia,& nobilis, quid tibi cum peregrino est?Quid in extraneo ureris? Quid thalamos alieni concupis orbis? Si uirū fastidis, hæc etiam potest dare terra,quod ames.Sed heu mihi,quæ nā illius est facies ? Quam nō moueat eius forma, ætas, genus,uirtus ? Certè mea pectora mouit:& nisi ferat opem,despero.Dij meliora dent.Vah,prodā ego ca

ſtos Hymenæos, meq; aduenæ neſcio cui credá, qui ubi abuſus me fuerit, abeat, uirq; ſit alterius, & me pœnæ relinquat? Sed nó is eſt eius uultus, nō ea nobilitas animi uidetur, nec gratia formæ illa eſt, ut timeá fraudes, & amoris obliuia noſtri: & dabit antè fidé. Cur tu ta timeá? Accingar, & omné moram pellá. Ego quoq; ita ſum pulchra, ut nó me minus ille uelit, quàm ego ipſum cupiá. Semper ſe mihi dabit, ſi ſemel ad oſcula fuerit receptus mea. Quot me ambiút proci, quocunque pergo? Quot riuales ante fores excubát meas? Dabo amori operá. Aut hic manebit, aut me ſecú abiturus abducet. Ergo ego & matré, & uirum, & patriá relinquam? Sæua eſt mater, & meis ſemper infeſta gaudijs. Viro carere, quàm potiri, malo. Patria illic eſt, ubi delectet uiuere. At famam perdam, Quid mihi rumores hominum, quos ipſa non audiam? Nihil audet, qui famæ nimis ſtudet. Multæ hoc fecerunt aliæ. Rapi Helena uoluit, non inuitam aſportauit Paris. Quid Ariadnen referam,

ram, uel Medeam? Nemo errantem arguit, qui cũ multis errat. Sic Lucretia. Nec intra pectus minora incendia nutriebat Euryalus. Medias inter Cæsaris curiam,& Euryali domum, Lucretia ædes habuit. Nec palatiũ Euryalus petere poterat, quin illam ex altis sese ostentantem fenestris haberet in oculis. Sed erubuit semper Lucretia, cum Euryalum uidit. Quæ res Cæsarem dedit amoris conscium. Nam cum ex sua consuetudine nunc huc, nunc equitaret illuc, & hàc sæpe transiret, animaduertit mutari fœminam Euryali aduentu, qui sibi quasi Octauiano Mecœnas astabat. Ad quem uersus: Euryale, siccine uris fœminas? Mulier ista te ardet, Semel, tanquam amanti inuideret, ubi ad ædes Lucretiæ uentum est, Euryali oculos pileo contexit: Nec uidebis, inquit, quod amas: ego hoc spectaculo fruar. Tum Euryalus: Quid hoc signi est, Cæsar? Nihil mihi cum illa, Sed hoc facere incautum est, ne circumstantes in suspicionem ad-

ducas. Erat Euryalo ſpadix equus,ar duæ ceruicis,anguſtiq; capitis:quem & breuis aluus, & obeſa terga ſpectabilẽ reddebant,animoſo pectore,toris luxuriantibus, qui ſonante tuba ſtare loco neſciebat.nutabat auribus, & collectum fremens uoluebat ſub naribus ignem.Denſa iuba,& dextro iactata recumbebat in armo: :cauans tellurem ſolido cornu, grauiter ſonabat ungula. Similis illi fiebat Euryalo uiſo Lucretia.Quę licet,dum ſola fuit,claudere uiam deſtinaſſet amori:ut tamen illum aſpexit,nec modũ flammę,nec ſibi ponebat:ſed ut ſiccus ager,qui admiſſo ignę comburitur,ſi Cori perflent altius flammeſcit: ſic infelix Lucretia exardeſcebat. Ita eſt ſanè,ut ſapientibus uidetur,humiles tantum caſas inhabitat Caſtitas:ſoloq; pauperies affectu ſano tenetur:& quę domo ſe coercet modico, diuites ædes neſcit Pudicitia.Quiſquis ſecundis rebus exultat, luxu fluit, ſemperq; inſolita appetit: delicatas eligit domos,& penates magnos,diræ fortunæ

næ comes libido. Intuens igitur Euryalum quàm sępe transeuntem Lucretia, nec ardorem compescere potēs, diu secum cogitauit, cui se patefaceret. Nā qui tacitus ardet, magis urit. Erat inter uiri seruos Sosias, Teutonicus senex, heroq; fidus, cui iā diu seruiebat libera liter. Hunc aggreditur amans, plus nationi quàm homini credēs. Ibat magna procerum stipante caterua per urbem Cæsar, iamq; domum Lucretię præteribat. Quæ ubi adesse cognouit Euryalum: Adesto, inquit, Sosia, paucis te uolo. Respice deorsum ex fenestra, ubi nā gentium iuuentus est huic similis? Vide ut omnes calamistrati sunt, erecti, eminentibus humeris. Aspice cæsaries, & madido cirro contortos crines. O qua les facies. Omnes lactea colla ferunt. Quo sese ore ferunt? quàm forti pectore? Aliud est hoc hominū genus, quàm terra nostra producat. Semē hoc deorū est, aut cœlo missa ꝓgenies. O si ex his mihi uirum Fortuna dedisset. nisi testes oculi essent, nūquā tibi hoc narrāti crediдissem:

didiſſem: etſi fama fuerit, omnibus gen
tibus præſtare Germanos. credo ſubie-
ctam Boreæ plagam, ex frigore magno
albedinem mutuari. Sed noſtin' tu ali-
quos? Quàmplurimos, inquit Soſias. Tũ
Lucretia, Franconẽ Euryalũ noſti? No-
ſco tanquã me, ait Soſias. cur tamẽ hoc
rogas? Dicã, inquit Lucretia. Scio quòd
in apertũ nõ ibit, hãc ſpem mihi tua bo
nitas facit. Ex ijs qui Cæſari aſtant, ne-
mo mihi eſt Euryalo gratior. In hũc a-
nimus meus commotus eſt, neſcio qui-
bus exuror flammis. Nec illum obliui-
ſci, nec mihi pacem poſſum dare, niſi ei
me facio notam. Perge oro, Soſia, con-
ueni Euryalũ, dic me ipſum amare. Nil
uolo ex te amplius, nec tu fruſtra hoc
nuncium facies. Quid audio, refert So-
ſias: hæccine me flagitia facere, aut co-
gitare, hera? Prodam'ne ego dominum
meũ: iamq; ſenex incipiã fallere, quod
iuuenis abhorrui? Quin potius, clara
progenies huius urbis, exturba nephã-
das flammas è caſto pectore. Ne obſe-
quere diræ ſpei, extingue ignem. Non
ægrè

ægrè amorem pellit, qui primis obstat insultibus. Qui dulce malum blandiendo nutrit, duri & insolentis domini seruituti se dat: nec cum uult, excutere iugum potest. Quid si hoc resciret maritus, heu quibus te ille laceraret modis? Nullus diu latere potest amor. Tace, inquit Lucretia: nihil loci terrori est. Nihil timet, qui non timet mori. Quemcunq; dederit exitũ casus, feram. Quò misera pergis? Sosias retulit. Domũ infamem reddes, solaque tui generis eris adultera. Tutum esse facinus reris? Mille circa te oculi sunt. Non sinet genitrix occultum scelus, non uir, non cognati, non ancillæ. Serui ut taceant, iumenta loquentur, & canes, & postes, & marmora te accusabunt. Atqui sit ut celes omnia: qui uidet omnia, celare non potes Deum. Quid? pœna præsens conscientię pauor, & animus culpa plenus, seque ipsum timens. Negata est magnis sceleribus fides. Compesce obsecro, impij amoris flammas. Expelle facinus mentę casta horridũ. Metuę cõcubitus

nouos

nouos miscere thalamis mariti. Scio rectum esse quod dicis, retulit Lucretia: sed furor cogit sequi peiora. Scit animus, quãtum præcipitium instat, & ruit sciens. Vincit & regnat furor, potensq; mente tota dominatur amor. Stat sequi quod regnum iubet amoris. Nimis, heu nimis reluctata sum frustra. Perfer, si mei te miseret, nuncium. Ingemuit super his Sosias: Perq; has, dixit, canas senectæ meæ comas, fessumq; curis pectus, & fida quæ præbui generi tuo seruitia, precor supplex, siste furorem, teq; ipsam adiuua. Pars sanitatis est, uelle sanari. Tum Lucretia: Non omnis, ait, ingenium reliquit pudor: parebo tibi, Sosia. Amorem, qui à me tegi non uult, uincam. Vnicum effugium est huius mali, morte ut præueniã nefas. Exterritus hac Sosias uoce: Moderare, inquit, hera mentis effrenæ impetus, coerce animos. Nũc uita es digna, quæ te nece dignam putas. Decretum est, ait Lucretia, mori. Admissum scelus Collatini uxor gladio uindicauit: ego honestius

us morte præueniam, committendum. Genus lethi quæro. ferro, laqueo, præcipitio, ueneno uindicare caſtitatem licet: unum horum aggrediar. Non patiar, inquit Soſias. At Lucretia: Si quis mori conſtituit, prohiberi non poteſt. Ac Porcia Catonis filia, mortuo Bruto, cum ferrum ſibi ſubtractum eſſet, carbones ardentes ebibit. Si tam proteruus, inquit Soſias, incubat menti furor, tuæ uitæ, quàm famæ conſulendum magis eſt. Fallax ſæpe fama eſt, quæ malo melior, bono peior nõnunquam datur. Tentemus hunc Euryalum, & amori operam demus. Meus erit iſte labor, tibique, ni fallor, rem confectã dabo. His dictis incenſum animum inflammauit amore, ſpemq; dedit dubiæ mẽti. Sed non illi animus erat, ut quod dixerat, eſſet facturus. Differre animum fœminæ quærebat, furoremq; minuere. ut ſępe tempus extinguit flammas, & adimit ægritudinẽ dies. Exiſtimauit Soſias falſis gaudijs puellam producere, donec uel Cæſar abiret, uel mẽs illius mutaretur:

tur:ne si negasset, alius nuncius quærere-retur, aut in se manus mulier inijceret. Sæpe igitur ire atque redire se finxit: & illũ gaudere amore suo, & tẽpus idoneũ quærere, quo inuicem affari possent. dixit interdum, non fuisse loquẽdi opportunitatem. Nonnunquam se mitti extra urbem studuit, atq; in reditũ gaudia distulit. Sic diebusmultis ægrotũ pauit animũ. Et ne per omnia mẽtiretur, semel tandem adorsus Euryalũ: O' quàm hic dilectus es, ait, si scires. Nec illi, quid hoc esset quęrẽti, ultra respõdit. At Euryalus, secreto Cupidinis arcu percussus, nullam membris quiete dabat, igne furtiuo populante uenas, qui totas penitus uorabat medullas. Non tamen Sosiam nouit, nec à Lucretia missum putabat: ut omnesminus spei habem⁹, quàm cupiditatis. Hic ubi ardere se uidit, diu prudẽtiam suam miratus est, seque multotiens increpauit: En Euryale, quid sit amoris imperium, nosti. Longi luctus, breues risus: parua gaudia, magni metus. Semper moritur, & nunquam mortuus

tuus eſt, qui amat. Quid tu his nugis inſtas iterum? At cum ſe fruſtra niti uideret: Quid tandem, ait, incaſſum miſer amori repugno? Num me licebit, quod neque Iulium licuit, nec Alexandrum, nec Annibalem? ſed quid uiros armatos refero? Aſpice poetas. Virgilius per funem tractus, ad mediam turrim pepēdit, dum ſe mulierculæ ſperat uſurum amplexibus. Excuſet quis poetam, ut laxioris uitæ cultorem: quid de Philoſophis dicemus, diſciplinarum magiſtris, & artis bene uiuendi præceptoribus? Ariſtotelem, tanquam equum mulier aſcendit, freno coercuit, & calcaribus pupugit. Dijs æqua poteſtas eſt Cæſarum. Non eſt uerum, quod uulgò dicitur,

Non bene cōueniunt, nec in una ſede morātur, Maieſtas & Amor. —

Quis maior eſt amator, quàm noſter Cæſar? quotiens hic amori dedit operam? Herculem dicunt, qui fuit fortiſsimus, & certa deorū ſoboles, pharetris & leonis ſpolio poſitis, colū ſuſcepiſſe, paſſumq;

ſumq; aptari digitis ſmaragdos, & dari legem rudibus capillis:& manu,qua clauam geſtare ſolebat, poperante fuſo duxiſſe fila.Naturalis eſt hæc paſsio . Sentit ignes genus aligerum:

Nam niger à uiridi turtur amatur aue:
Et uarijs albæ iunguntur ſæpe columbæ:

Si uerborum memini, quæ ad Phaonem Siculum ſcribit Sappho.Quid quadrupedes referam ? Mouet pro cõiugio bella iumentũ. Timidi cerui prælia poſcunt,& cõcepti furoris dant ſigna mugientes.Vrũtur Hyrcanæ tigrides . Vulnificus aper dentes acuit. Pœni quatiunt terga leones,cum mouit amor. Ardent inſanæ Ponti beluæ . Nihil immune eſt,nihil amori negatum. Odium parit,cum iuſsit amor . Iuuenum feroces concitat flammas:ſenibusq; feſsis rurſus extinctos reuocat calores . Virginũ ignoto ferit igne pectus. Quid ego Naturæ legibus renitar?

Omnia uincit amor,& nos cedamus amori.

¶ Hæc ubi firmata ſunt,lænam quærit, cui literas ad nuptam ferendas committat.

mittat. Nisus, huic fidus comes erat, harum rerum callidus magister. Hic prouinciam suscipit, mulierculam conducit, cui literæ committuntur, in hanc sententiam scriptæ.

Epistola Euryali ad Lucretiam.

SAlutarem te, Lucretia, meis scriptis, si qua mihi salutis copia foret. Sed omnis tum salus, tum uitæ spes meę ex te dependet. Ego te magis, quàm me amo. Nec te puto latêre meum ardorem. Læsi pectoris index tibi esse potuit uultus meus, sæpe lachrymis madidus, & quæ te uidente emisi suspiria. Fer benignè, te precor, si me tibi aperio. Cępit me decus tuũ, uinctũq; tenet eximia, qua omnibus præstas, uenustatis gratia. Quid esset amor, antehac nesciui: tu me Cupidinis imperio subiecisti. Pugnaui diu, fateor, uiolentum ut effugerem dominũ: sed uicit meos conatus splendor tuus. Vicerunt oculorũ radij, quibus es sole potẽtior. Captiuus sũ tuus, nec iam mei amplius compos sum. Tu mihi & cibi & potus usum abstulisti. Te dies no-

ctesque amo, te desidero, te uoco, te expecto, te cogito, in te spero, de te me oblecto. Tuus est animus, tecum sum totus. Tu me sola seruare potes, solaq; perdere. Elige horum alterum: & quid mentis habeas rescribe. Nec durior erga me uerbis esto, quàm fueras oculis, quibus me colligasti. Non peto rem grandem. Vt alloquendi te copiam habeam, postulo. Hoc tantum uolunt hæ literæ, ut quæ nunc scribo, dicere possim coram te. Hoc si das, uiuo, & fœlix uiuo: sin negas, extinguitur cor meum, quod te magis quàm me amat. Ego me tibi & tuæ committo fidei. Vale anime mi, & uitæ subsidium meæ.

Has ubi gemma signatas accepit læna, festino cursu Lucretiam petit: eaq; sola inuenta, Hanc tibi epistolam, inquit, tota Cæsarea nobilior & potentior curia mittit amator: utque sui te mi sereat, magnis precibus rogat. Erat lenocinio notata mulier, nec id Lucretiã latebat: permolesteque tulit, infamem fœminã ad se mitti. Atq; in eam uersi,

Quæ

Quæ te, ait, scelesta, in hanc domũ audacia duxit? Quæ te dementia meam adire præsentiam suasit? Tu nobilium ædes ingredi, tu matronas tentare potẽtes, & uiolare audes legitimas faces? Vix me contineo, quin in capillos inuolem tuos. Tu mihi des literas? tu me alloquaris? tu me respicias? Nisi plus quod me decet, attenderem, quàm quod tibi cõuenit, efficerẽ hodie; ne posthac unquã tabellas amatorias ferres. I ocyus ueneficа, tuasq; literas tecũ defer. imò da potius ut lacerẽ, igniq; dedã. Arripiensq; papyrũ, in partes diuersas scidit: & calcatã sæpe pedibus, atq; cõsputã, in cinerẽ cõiecit. Ac, sic de te (ait) sumi suppliciũ læna deberet igne quàm uino digni or. Sed abi ocyus, ne te uir offẽdat meus: & quas tibi remisi, de te poscat pœnas. Cauetoq; admodũ, ne ante cõspectũ redeas meũ. Timuisset alia mulier, sed hęc matronarũ nouerat mores, & intra se inquit: Nũc uis maximè, quia te nolle ostẽdis. Moxq; ad illã: Parce, inquit, domina. putaui me benefacere, tibiq; cõplacitũ

iri:si secus est, da ueniam imprudentiæ meæ. Si non uis ut redeam, parebo. Tu quem despicias amatorẽ, uideris. Atque his dictis, è conspectu recessit. Euryaloq́; inuento: Respira, inquit, felix amator: plus amat mulier, quàm amatur: sed nunc non fuit rescribendi ociũ. Inueni mœstã Lucretiam: at ubi te nomino, tuasq́; literas dedo, hilarem uultum fecit, milliesq́; papyrum basiauit. Nec dubita, mox responsum dabit. Et abiens uetula, cauit ne amplius inueniretur, ne pro uerbis referret uerbera. Lucretia uerò, postquã anus euasit, fragmenta perquirens epistolæ, particulas quasq; suo loco reposuit, & lacera uerba contexuit, iamq́; legibile chirographum fecerat. Quod postquam millies legit, milliesq́; deosculata est, tãdem in uolutum sindone, inter preciosa iocalia collocauit. Et nunc hoc repetens, nunc illud uerbum, maiorẽ horatim bibebat amorem. Euryaloq́; rescribere statuit, atque hunc in modum dictatam epistolam misit:

Rescriptum Lucretiæ.

DEsine sperare, quod assequi non licet, Euryale. Parce literis ac nűcijs me uexare: nec me illarum ex grege credito, quæ se uendűt. Non sum, quam putas: nec cui submittere lænā debeas. Quære aliam incestādam: me nullus amor nisi pudicus sequatur. Cum alijs ut libet agito: ex me nihil postules temerè, teque me indignum scias. Vale.

Hæc epistola quamuis durior Euryalo uisa est, & contraria lænę dictis, uiam tamen ostendit ultro citroque literas mißitandi. Nec dubitauit Euryalus credere, cui fidem Lucretia præbuisset: sed angebatur, quia sermonis Italici nescius erat, ideoque feruēti studio curabat addiscere. Et quia sedulum faciebat amor, breui tempore doctus euasit, solusque sibi dictauit epistolas, qui prius ab alijs mutuabatur, quicquid Etrusco sermone scribi oportuit. Respondit ergo Lucretiæ, Nil succensendum esse sibi, quòd infamē submiserit fœminam, cum id se peregrinum latêret, qui alio

uti nũcio nõ potuerat. Misionis amorẽ fuisse causam, qui nihil quæreret inhonesti: credere se, fore ipsam pudicã, castissimamq́;: atq; idcirco maiori dignã amore. Insolentẽ fœminam, honorisq; sui prodigam, nedũ se non diligere, sed maximo odio prosequi. Pudicitia nanque omissa, nil esse quod in fœmina cõmendetur. Formam fore delectabile bonum, sed fragile, caducumq́ue: & cui, nisi pudor adsit, nihil precij detur. Quę pudicitiam formæ adiunxerit, eam diuinã esse mulierem: ipsamq́ue utraque dote pollentem scire, ac propterea coli à se, qui nihil ab ea peteret libidinosum, aut obfuturum famæ. Optare se tantum alloqui, ut animum suum, qui scriptis plenè ostendi nequit, uerbis aperiat. Cũq; his literis munera misit, non solum materia, sed opere etiam preciosa. Ad hæc Lucretia sic rescripsit:

Lucretia Euryalo.

ACcepi literas tuas, iamq; nil amplius de læna queror. Quòd me amas, nõ magni facio: quia nec primus es, nec solus,

lus, quem mea forma decepit. Multi & amarunt, & amant me alij: sed ut illorũ, sic & tuus erit uacuus labor. Habere uerba tecum nec possum, nec uolo. Inuenire me solam, nisi fias hirundo, non potes. Altę sunt domus, & aditus custodia clausi. Munera tua suscepi, quia oblectat me opus illorũ. Sed ne quid tuum gratis apud me sit, ne'ue hoc pignus uideatur amoris, remitto ad te annulum, quem matri meæ uir dedit: ut apud te, quasi precium sit uenditorum iocaliũ. Nec enim minoris est precij gemma eius, quàm munus tuum. Vale.

His Euryalus sic replicauit:

MAgno mihi gaudio fuit epistola tua, quæ finem querelis fecit de lęna. Sed angit me, quod amorẽ paruipẽdas meũ. Nam etsi plures te amant, nullorũ tamẽ ignis cõparandus est meo. At tu hæc nõ credis, quia loqui nequeo tecum: id si daretur, nõ me contemneres. O utinã fieri possem hirundo. Sed libentius transformari in pulicem uellẽ, ne mihi fenestram clauderes. At ego non,

quòd nequeas, ſed quòd nolis, doleo. Nam quid ego, niſi animum, reſpicio? Ah mi Lucretia, quid dixti, te nolle? An ſi poſſes, me nolles alloqui, qui tuus ſũ totus: qui nihil cupio magis, quàm tibi gerere morem? Quæ ſi iubes in ignem ire, citius obediã, quàm præcipias. Mitte obſecro, uerbum hoc. Si non datur facultas, aſsit uoluntas. Neque me uerbis eneca, quæ uitam mihi oculis præbes. Si nõ placet me alloquium petere, quia non ſit impetrãdum, obſequar. Sed muta ſententiam illam, qua meum laborẽ uacuum dixiſti futurum. Abſit hæc crudelitas. Mitior eſto amanti tuo. Si pergis ſic loqui, homicida fies: nec dubita, facilius tu me uerbis interimes, quàm quiuis alius gladio. Deſino iam plura poſcere: ut redames tãtum, poſtulo. Nihil hic eſt quod obijcias. Nemo poteſt hoc te prohibere. Dic te me amare, & beatus ſum. Munuſcula mea quouis modo apud te ſint, eſt gratũ. Illa te aliquando mei admonebunt amoris. Sed parua illa fuerunt: & minora ſunt, quæ nunc mitto.

mitto. Tu tamen noli ſpernere, quod amator donat. Maiora, quæ in dies ex patria mihi debent afferri, cum aderunt, ex me recipies. Annulus tuus nũquam ex digito meo recedet: & illũ uice tua, crebris oſculis reddã madidum. Vale deliciũ meũ: & mihi, quod potes, ſolamen dato. Sic frequenter cum replicatum eſſet, in hunc tandem modum Lucretia dedit epiſtolam:

Lucretia Euryalo.

VEllem tibi, Euryale, morem gerere: teque, ut petis, amoris mei participẽ facere. Nam id tua nobilitas meretur, & mores tui depoſcunt, ut incaſſum nó ames. Taceo, quantum mihi placeat forma tua, & plena benignitate facies. Sed mihi non eſt uſui, ut te diligam. Noſco meipſam: ſi amare incipiam, nec modũ nec regulã ſeruabo. Tu diu hic eſſe non potes: nec ego te, poſtquam in ludum uenerim, poſſem carere. Tu me nolles abducere, & ego nollẽ manere. Monent me multarum exempla, quæ per peregrinos amantes deſertæ ſunt, ne tuum

amorem ſequar. Iaſon Medeã decepit. cuius auxilio uigilem interemit draconem,& uellus aureum aſportauit. Tradendus erat Theſeus in eſcam Minotauro,ſed Ariadnæ conſilio fretus euaſit:illam tamen deſertam apud inſulam dimiſit. Quid Dido infœlix, quæ profugum recepit Aeneam,non'ne illi peregrinus amor interitum dedit? Scio quanti periculi ſit, amorem extraneum admittere: nec me tãtis obijciam diſcriminibus. Vos uiri ſolidioris eſtis animi, furorẽq; magis compeſcitis. Fœmina ubi furere incipit,ſola poteſt morte aſſequi terminum. Non amant, ſed inſaniunt mulieres. Et niſi correſpondeat amor, nil eſt amante fœmina terribilius. Poſtquam enim receptus eſt ignis,nec famã curamus,nec uitã. Vnicũ remediũ eſt, ſi copia ſit amati. Nam quo magis caremus, magis cupimus. Nec diſcimen timemus ullum,dummodo noſtræ libidini ſatiſfiat. Mihi ergo nuptæ,nobili,diuiti,conſultum eſt,amori uiã præcludere:& tuo præſertim,qui nõ poteſt eſſe diuturnus,

ne uel Rhodopeia Phillis dicar, uel altera Sappho. Ideo te oratũ uolo, ne ultrà meum expoſcas amorẽ: & tuum ut paulatim cõprimas, extinguasq́;. Nã id eſt uiris, quàm fœminis, multo facili⁹. Nec tu, ſi me, ut dicis, amas, id ex me quærere debes, quod mihi exitio ſit. Sic pro tuis donis remitto auream crucẽ, margaritis ornatã: quæ licet breuis ſit, non tamen precio caret. Vale. Non tacuit Euryalus, his acceptis. ſed ut erat nouis ſcriptis incenſus, calamũ ſuſcepit, atq; ſub hac forma dictauit epiſtolam.

Euryalus Lucretiæ.

SAlue mi anime, Lucretia, quę me tuis literis ſaluum facis: etſi nonnihil fellis immiſceas. Sed hoc ſpero, me audito, detrahes. Venit meas in manus epiſtola tua clauſa, & tua gemma ſignata. hanc & legi ſæpe, & deoſculatus ſum ſę pius. Sed hæc aliud ſuadet, quàm tuus uidetur animus fuiſſe. Rogas me, ut amare deſinã: quia nõ expedit tibi, peregrini flãmas amoris ſequi. Et ponis excṗla deceptarũ: ſed hoc tam ornatè culteq́;

ſcribis,

ſcribis, ut mirari magis, & amare tuum ingenium debeá, quàm obliuiſci. Quis ille eſt, qui tunc amare deſinat, quando prudentiorem & ſapientiorem animad uertit amicam? Si meum minuere uolebas amorem, non oportuit doctriná tuam oſtendere. Nam hoc non eſt incéſum extinguere, ſed ignem maximũ ex parua cóflare fauilla. Ego dum legi, magis exarſi: uidens formæ tuę præclaræ, & honeſtati, coniunctam eſſe doctriná. Verba ſunt tamen, quibus rogas, ut amare deſiſtam. Roga montes, ut in planum deueniant, utque fontes ſua repetant flumina. Tam poſſem ego te non amare, quàm ſuũ relinquere Phœbus curſum. Si poſſunt carere niuibus Scythiæ montes, aut maria piſcibus, & feris ſyluæ: poterit & obliuiſci Euryalus tui. Non eſt pronum uiris, ut reris Lucretia, flámas extinguere. Nam quod tu noſtro ſexui aſcribis, plerique ueſtro aſsignant. Sed nolo hoc certamen modò ingredi. Ad ea me reſpondere oportet, quæ in aduerſum retuliſti. Idcirco enim nolle te

mihi

mihi correspondere amanti significas, quoniam multas peregrinus amor decepit: exemplaque ponis. Sed possem ego quoque plures referre, quos fœminæ reliquerunt. Troilũ, sicut nosti, Priami filium, Criseis decepit. Deiphobum Helena prodidit. Amatores Circe suos medicamentis uertebat in sues, atq; in aliarũ terga ferarum. Sed iniquum est, ex paucarum consuetudine totum uulgus censere. Nam si sic, peregrinos, propter duos tres'ue malos, aut etiam decẽ uiros, omnes accusabis, horrebisq;: & propter totidem fœminas, cæteræ omnes erunt odio mihi. Quin potius alia sumamus exempla. Qualis amor Antonij Cleopatræq; fuit, & aliorũ quos epistolæ breuitas referre non sinit? Sed tu Ouidium legisti, inuenistique, post Troiam dirutam, Achiuorum plurimos dum remeant, peregrinis retentos amoribus, nunquam in patriam reuertisse. Hęserunt namque amatricibus suis: carereq; potius necessarijs, domo, regnis, & alijs quæ sunt in patria cuique gratissima,

tissima, uoluerunt, quàm amicas relinquere. Hæc te rogo, mi Lucretia, cogites: non illa; quæ nostro sint amori aduersa, & quę pauci fecerũt. Ego ea mente te sequor, ut perpetuò te amẽ, simq; perpetuò tuus. Nec tu me peregrinum dixeris: magis nanque ciuis sum, quàm qui hic nascitur. Eum nanque casus facit ciuem, me uerò electio. Nulla mihi patria erit, nisi ubi tu sis. Et quamuis cõtingat me aliquando hinc abire, reditus tamen festinus erit. Nec ego in Teutoniam reuertar, nisi res meas compositurus, ordinaturusque ut tecum esse quàm diu possim. Facilè manendi apud te reperietur occasio. Multa his in partibus negocia Cæsaris sunt, hæc mihi committi expedienda curabo. Nunc legatione fungar, nunc munus exercebo. Vicarium in Etruria Cæsarem habere oportet: hanc ego prouinciam impetrabo. Ne dubita, suauiũ meum, Lucretia, meũ cor, spes mea, si uiuere absq; corde possum, & te relinquere possum. Age; iam tandem miserere amantis tui,

qui

qui tanquam ad solem nix eliquescit. Considera meos labores, & modum iã deniq; meis martyrijs statue. Quid me tam diu crucias? Miror ego me, qui tot ꝑpeti tormẽta potuerim, qui tot noctes insomnes duxi, qui tot ieiunia toleraui: Vide, quàm macer sum, quàm pallidus. Parua res est, quæ spiritum corpori alligatum detinet. Si tibi aut parentes, aut filios occidissem, nõ poteras de me maius quàm hoc supplicium sumere. Si sic me punis, qui te amo: quid illi facies, qui tibi damnum dederit, aut malum? Ah mea Lucretia, mea hera, mea salus, meum refrigerium, suscipe me in gratiam. Demum rescribe, me tibi charum esse: nihil aliud uolo. Liceat mihi dicere, Seruus Lucretiæ sum. Et Reges & Cæsares amant, seruos ubi fideles norunt. Nec dij dedignãtur redamare, qui amant. Vale spes mea, meusq; metus.

Vt turris, quæ fracta interius, inexpugnabilis uidetur exterius, si admotus aries fuerit, mox confringitur: ita Euryali uerbis Lucretia uicta est. Postquam

enim

enim sedulitatem amãtis apertè cogno uit,& ipsa dissimulatum patefecit amo rem, atque his literis Euryalo se aperuit.

Lucretia Euryalo.

NOn possum tibi ultrà aduersari: nec te amplius,Euryale,mei amoris expertem habere.Vicisti,iaq; sum tua. O' me miseram,quæ tuas suscepi literas.Nimium multis exponenda sum periculis, nisi me tua fides & prudentia iuuet. Vide,ut serues quę scripsisti.In amorem iã tuum uenio. Si me deseris, & crudelis, & proditor,& omnium pessimus es.Facile est fœmellam decipere: sed quanto facilius,tanto turpius. Adhuc res integra est.si putas me deserendam, dicito, antequã magis amor ardeat. Nec incipiamus,quod postmodũ incepisse pœniteat.Omniũ rerũ inspiciendus est finis.Ego, ut fœminarum est, parũ uideo. Tu uir es:te mei & tui curã habere oportet. Do me iam tibi, tuãq; sequor fidẽ. Nec tua esse incipio, nisi ut sim ꝑpetuò tua.

Vale meũ ꝑsidiũ, meęque ductor uitę.

Post

Post hanc plures epistolæ missę utrinq; sunt. Nec tam ardenter Euryalus scripsit, quàm ferućter Lucretia respondit. Vnum iam utriusq; desiderium erat, simul conueniendi: sed arduum, ac penè impossibile uidebatur, omnium oculis Lucretiam obseruantibus: quæ nec sola unquam egrediebatur, nec unquam custode carebat. Nec tam diligenter bouē Iunonis Argus custodiuit, quàm Menelaus iusserat obseruari Lucretiam. Vitium hoc apud Italos latè patet. Fœminam suam, quasi thesaurum, quisq; recludit: meo iudicio, minus utiliter. Sunt enim ferè huiusmodi mulieres omnes, ut id potissimè cupiant, quod maximè denegatur: quæ, ubi uelis, nolūt: ubi nolis, cupiūt ultrò. Hę si liberas habent habenas, minus delinquūt. Exinde tam facile est inuitā custodire mulierem, quàm in feruenti sole pulicum gregem obseruasse. Nisi suapte casta sit mulier, frustra maritus nititur apponere seruantes eā. Sed quis custodiat ipsos custodes? Cauta est, & ab illis incipit uxor. Indomitū

animal mulier, nullisq; frenis retinédũ. Erat Lucretię spuri⁹ frater: huic sępe tabellas commiserat Euryalo deferẽdas, & hunc etiam sui amoris conſciũ fecerat. Cum hoc igitur conuenitur, Euryalũ ut clã domi ſuſcipiat. Habitabat hic prope nouercam ſuam, Lucretiæ matrẽ: quam Lucretia ſæpe uiſitabat, & ab ea ſæpius uiſitabatur. nec enim magno interuallo diſtabãt. Ordo ergo is erat, ut clauſo in conclaui Euryalo, poſtquam mater eccleſiaſticas aditura cæremonias exiuiſſet, Lucretia ſuperueniret, tanquã matrem domi conuentura: qua non inuẽta, reditũ expectaret, interim uerò apud Euryalum eſſet. Poſt biduũ ſtatutus erat terminus. at hi dies, tanquã anni uiſi ſunt amantibus longi: ut bene ſperãtibus horæ productæ ſunt, malè timẽtibus correptæ. Sed non arriſit amantiũ deſiderijs fortuna. Præſenſit namq; inſidias mater. atq; ut hic dies uenit, ingreſſa domum, priuignũ excluſit. Qui mox Euryalo triſte nuncium tulit: cui non minus, quàm Lucretiæ, fuit moleſtum.

Quæ

Quæ poſtquam detectos agnouit dolos: Hac non ſucceſſit, inquit, alia aggrediamur uia: nec potes erit mater, meis obſiſtere uoluptatibus. Pandalus uiro affinis erat, quem iam Lucretia fecerat arcanorũ ſcium. Nec enim poterat igni tus animus quieſcere. Significat igitur Euryalo, hunc ut alloquatur: quia fidus ſit, & conueniendi uiam poſsit monſtrare. At Euryalo non uidebatur tutum, illi ſe credere, quem Menelao ſemper hærentem intuebatur: & ſubeſſe fallaciam uerebatur. Inter deliberandum autem, iuſſus eſt Euryalus Romam petere, atque cum Pontifice maximo de coronatione tranſigere. Quæ res tum ſibi, tum amicæ moleſtiſsima fuit: ſed oportebat Cæſaris imperium ferre. Itur ergo, mora duorum menſium fit. Lucretia interim domi manere, feneſtras claudere, mœſtas induere ueſtes, nuſquam exire. Mirari omnes, nec cauſã noſcere. Ipſa quaſi uidua uidebatur: & tanquã ſol defeciſſet, cuncti ſe putabãt in tenebris agere. Domeſtici, qui

eam ſępe incubantē lectulo, & nunquā lætam uidebant, ægritudini imputabāt: & quicquid remediorū afferri poterat, perquirebant. Sed nunquam illa uel riſit, uel thalamum exire uoluit, niſi poſtquam redire Euryalum, & illi Cæſarem obuiam iſſe cognouit. Tunc enim, quaſi è graui ſomno excitata, lugubri ueſte poſita, & ornamētis redimita prioribus, feneſtras aperuit, lætabūdaq; illum expectauit. Quam ut Cæſar uidit: Ne nega amplius, inquit, Euriale, detecta res eſt. Nemo Lucretiam, te abſente, uidere potuit: nunc quia rediſti, auroram cernimus. Quis enim modus adſit amori? Tegi nō poteſt amor, nec abſcondi tuſſis. Iocaris mecū, ut ſoles, Cęſar, & me in riſū ducis: Euryalus ait. Ego quid hoc ſit neſcio. Hinnitus equorū tuorum, & prolixæ barbæ ſtrepitus tuæ, illam forſitā excitauit. Atq; ſic effatus, Lucretiā furtim aſpexit, & oculos coniecit in oculos: eaq; poſt reditum prima conſalutatio fuit. Paucis deinde interiectis diebus, Niſus, Euryali fidus comes, dū anxius

anxius amici causæ fauet, tabernam speculatus est, quæ post Menelai domum sita, in Lucretiæ cameram retrorsum habebat intuitum. Cauponem igitur sibi cōciliat, spectatoq; loco, Euryalū adducit: & Hac (inquit) ex fenestra alloqui Lucretiam poteris. Media inter utrāq; domum cloaca fuit, nec homini, nec soli accessa. Trium ulnarum distātia fenestrā Lucretiæ disterminabat. Huc diu cōsedit amator, expectans, si quis casus Lucretiam ostenderet: nec deceptus est. Affuit tandem Lucretia. Cūq; huc atq; illuc respiceret: Quid agis, ait Euryal9, uitæ rectrix meæ? Quò tendis lumina, cor meum? Huc, huc dirige oculos, præsidium meum. Tuus hic Euryalus est. Me me, assum, respice. Tu'ne hic ades, inquit Lucretia, ô mi Euryale? Iam te alloqui possum: utinam & amplecti ualerem. At istuc, ait Euryalus, non magno conatu faciam. Scalam huc admouebo, tu obsera thalamum. Amoris nostri gaudia nimium distulimus. Caue mi Euryale, si me uis saluam. Fene-

ſtra hic ad dextram eſt, uicinusq; peſsimus, nec cauponi credendum eſt, qui parua pecunia & te & me perderet. Sed alia incedamus uia. Satis eſt, ſi hinc ſermoni noſtro patet acceſſus: reſpondit Lucretia. At mihi, Euryalus inquit, mors eſt hæc uiſio, niſi te ſemel ampleɔtor, meisque brachijs teneo mediam. Diu ex hoc loco tractus eſt ſermo, miſſaq; hinc per arundinem ſunt munera. Nec Euryalus in donis, quàm Lucretia, liberalior fuit.

Senſit dolum Soſias, ſecũq;: Fruſtra, inquit, amantum conatibus obſto. Niſi aſtu prouideo, & hera peribit, & domus infamiam ſubibit. Ex his malis ſatius eſt unum auertere. Amet hera: nihil nocebit, ſi clàm fit. Ipſa præ amore cæca eſt: nec quid agat, ſatis proſpicit. Si non poteſt cuſtodiri pudicitia, ſatis eſt rumorẽ tollere, ne domus infamis fiat, ne'ue parricidiũ committatur. Adibo, & operã præbebo meã. Reſtiti, quoad potui, ne committeretur nephas. Id quia non licuit, meũ eſt curare, ut quod peius agitur,

tur,occultũ ſit.Parum enim differt nõ a gere,& ſic agere ut nemo ſciat. Cõmune malũ libido eſt. Nec homo eſt,quem peſtis hæc non agitet. Et ille caſtior ha betur,qui cautius agit. Dũq; ſic fatur, Lucretiã egreſſam thalamo uidet, aggreſſusq; fœminam:Quidnã eſt,inquit, quod nihil amoris mihi cõmunicas?Euryalus nihilominus tibi dilectus eſt:& me clàm amas:uide,cui des fidẽ.Primus ſapientię gradus eſt,nõ amare:ſecũdus, ut ſic ames, ne palàm fiat.Sola hoc,ſine internũcio, facere non potes. Quanta mihi apud te ſit fides,longo iã tempore didiciſti. Si quid mihi cõmittere uis,iube. Mihi maxima cura eſt,ne amor iſte detegatur, & tu pœnam luas, & uir omnium oblocutiones ferat. Ad hæc Lucretia:Sic eſt, ut ais Soſia, inquit: & tibi magnam habeo fidem.Sed tu uiſus es,neſcio quo modo,negligens, & meis aduerſus deſiderijs.Nunc quia ſponte te offers,utar obſequijs tuis,nec abs te decipi timebo.Tu ſcis,quantũ ardeo. Diu ferre non poſſum hanc flammam.

Iuua me,ut ſimul eſſe poſsimus. Euryalus amore languet, & ego morior. Nil peius eſt, quàm obſtare cupiditati noſtræ. Si ſemel inuicem conuenerimus, temperántius amabimus: & tectus erit amor noſter. Vade igitur, Euryaloq; ui am unicá me accedẽdi dicito, ſi abhinc quatriduo, dum ruſtici frumentum afferunt,uectoris perſonam induat: opertusque ſacco, triticum per ſcalas in horreum ferat. Tute ſcis, thalamum meum ad ſcalas habere oſtium primum, atque omnia Euryalo dicito.Hic diem manebo,& dum erit tempus, ſola in cubili ero. Ipſe oſtium impellat, dum ſolus ſit, & ad me ingrediatur. Soſias, quamuis arduum facinus eſſet, maiora tamen ueritus mala,prouinciam ſuſcipit: Euryaloque inuento, cuncta ex ordine nunciat. Quæ ille iudicans leuia, libenter amplectitur, ſeque imperatis accingit: nec aliud queritur, quàm nimiam moram. O' inſenſatum pectus amantis. O' mentem cæcam. O' animum audacem,corque intrepidum. Quid eſt tam
nimium

nimium, quod tibi non parum uideatur? Quid tam arduum, quod planum non æstimes? Quid tam clausum, quod tibi non sit apertum? Tu omne discrimẽ parui facis. Tu nihil difficile censes. Inanis est apud te omnis custodia maritorum. Nullę te leges tenent, nulli metus. Nulli pudori obnoxius es. Omnis labor tibi est ludus. Tibi nil obstat usquam. O` rerum, Amor, domitor omnium. Tu uirum primatem, Cæsari acceptissimũ, diuitijs affluentem, ætate maturum, imbutum literis, prudentia clarum, eò perducis, ut posita purpura, saccũ induat, uultum sacco tegat, seruus ex domino fiat. Et qui nutritus in delicijs fuerat, iam humeros gestandis oneribus aptet, seq́; publicum baiulum mercede locet. O` rem mirandam, peneque incredibilem: uirum alioquin consilio grauissimum, inter cateruas uectorum cernere: atque in colluuie, illaque fece hominũ, contubernium habuisse. Quis transformationem quærat maiorem? Hoc est, quod Ouidiana Metamorphosis uult,

dum fieri ex hominibus aut beſtias ſcri bit, aut lapides, aut plantas. Hoc & poe tarum eximius Maro ſenſit, dum Circes amatores in terga ferarum uerti cantabat. Nam ita eſt, ex amoris flãma ſic mẽs hominis alienatur, ut parũ à beſtijs differat. Linquens croceũ Titonis Auro ra cubile, iam diem referebat optatum: moxq́; ſuum rebus colorẽ Apollo reddens, expectantem recreat Euryalũ: qui tunc ſe fortunatum beatũque cenſuit, cum admixtũ ſe uilibus ſeruis, nulli no ſcendũ uidit. Pergit igitur, ingreſſusq́; Lucretiæ domũ, frumento ſe onerauit: poſitoque in horreum tritico, ultimus deſcendentiũ fuit. Atque ut erat perdo ctus, oſtium maritalis thalami, quod in medio ſcalarũ clauſum uidebatur, impellit, ſeq́ue intrò recepit. Et recluſis fo ribus, ſolam Lucretiam, ſerico intentã uidet. Atque accedẽs propius, Salue mi anime, inquit: ſalue unicũ uitæ præſidiũ ſpesq́; meæ. Nunc te ſolã offendi. Nũc, quod ſẽper optaui, ſemotis arbitris, te amplectar. Nullus iã paries, nulla diſtã-

tia

tia meis obſtabit oſculis. Lucretia,quã uis ordinẽ ipſa dediſſet, primo congreſſu ſtupuit:nec Euryalũ, ſed ſpiritũ ſe ui dere putabat, ut quę uirum tantũ ad ea pericula iturum ſibi nõ perſuadebat. At ubi inter amplexus & oſcula ſuũ cognouit Euryalum: Tu'ne es,inquit,pauperculæ? Tu'ne hic ades, Euryale? Et rubore per genas fuſo,complexa eſt arctius hominem, & media fronte diſſauiata. moxq́ue repetẽs ſermonem: Heu quanto te,ait,diſcrimini ſubieciſti? Quid amplius dicã? Iam me tibi charisſimã ſcio. Iam tui amoris feci periculum: ſed neque tu me aliam inuenies. Dij tamen fata ſecundent, & amori noſtro proſperũ uentum dent. Dum ſpiritus hos reget artus, præter te nemo Lucretiæ potens erit, nec maritus quidem: ſi ritè maritum appello, qui mihi inuitæ datus eſt, & in quem animus nunquam conſenſit meus. Sed age mea uoluptas, meum delicium, abijcito ſaccum hunc: teq; mihi,ut es,oſtende. Exue uectoris ſpeciẽ, Hos funes miſſos face. Euryalũ

me uidere concedito. Iam ille, depositis sordibus, ostro fulgebat & auro, & amoris in officium pronus ibat. Tum Sosias ante hostium pulsitans: Cauete, inquit, amantes. nescio quid rerum quęrens Menelaus, huc festinat. Tegite furta uestra, dolisque uirum fallite. Nihil est, quòd eũ egredi putetis. Tum Lucretia: Latibulum, inquit, paruum sub strato est, illic preciosæ res sunt. Scis, tibi quid scripserim: si te mecum existente, uir aduentaret. Ingredere huc, tutus hic tenebris eris. Neque te moueris, neque screatũ dederis. Anceps, quid agat. Euryalus, mulieris imperium subit. Illa foribus patefactis, ad sericum redit. Tum Menelaus, & unà Bertus, assunt, chirographa nonnulla ad rempublicam pertinentia, quæsituri. Quæ postquam nullis inuenta sunt scrinijs: In latibulo nostro, inquit Menelaus, forsitan erunt. I Lucretia, lumenque affer huc, intus quærendum est. His exterritus Euryalus uocibus, exanguis fit, iamque odisse Lucretiam incepit. atq; intra se: Heu me

me fatuum, inquit. Quis me huc uenire compulit, nisi mea leuitas? Nunc deprehensus sum. nunc infamis fio. nunc Cæsaris gratiam perdo. Quid gratiam? utinam mihi uita supersit. Quis me hinc uiuum eripiet? Emori certum est. O me uanum, & stultorum omnium stultissimum. In hanc sententiam uolens cecidi. Quid hæc amoris gaudia, si tanti emuntur? Breuis illa uoluptas est, dolores longissimi. O, si nos hęc pro regno cœlorũ subiremus. Mira est hominum inscitia. Labores breues nolumus pro longissimis tolerare gaudijs. Amoris causa, cuius lætitia fumo comparari potest, infinitis nos obiectamus angustijs. Ecce meipsum. Iam ego exemplum, iam fabula omnium ero: nec quis exitus pateat, scio. Hinc si me Deorum traxerit auxilium, nusquam me rursus amor illaqueabit. O Deus, eripe me hinc. parce iuuẽtuti meæ: noli meas metiri ignorantias. Reserua me, ut horum delictorum pœnitentiam agam. Non me amauit Lucretia, sed quasi ceruũ in casses

uoluit deprehendere. Ecce, uenit dies meus. Nemo me adiuuare potest, nisi tu Deus meus. Audierā ego sæpe mulierū fallacias, nec declinare sciui. At si nunc euasero, nulla me unquā mulieris techna deludet. Sed nec Lucretia minoribus urgebatur molestijs: quæ non solū sui, sed amantis quoque saluti timebat. At ut est in periculis subitaneis mulierū, quàm uirorū, prōptius ingeniū, excogitato remedio: Age, inquit, mi uir, cistella illic super fenestra est, ubi te memini monumenta nonnulla recondisse. uideamus, an illic chirographa sint reclusa. Subitoq; decurrens, tanquam uellet aperire cistellam, latenter illam deorsū depulit, & quasi casu cecidisset: Proh, mi uir, ait, adesto, ne quid damni sentiamus. Cistella ex fenestra decidit, perge ocyus, ne iocalia uel scripturæ dispereant. Ite ambo, quid statis? Ego hinc, ne quis furtum faciat, oculis obseruabo. Viden' audaciā mulieris. Nunc & fœminis credito. Nemo tam oculatus est ut falli nō posfit. Is duntaxat non fuit illu

sus,

sus, quem coniunx fallere non tentauit: Plus fortuna, quàm ingenio sumus fœlices. Motus hoc facto Menelaus, Bertusq́;, unà repentè in uiculū se præcipitāt. Dom⁹ Etrusco more altior fuit, multiq́; gradus descendēdi erāt. Hinc datū est Euryalo spaciū mutādi locū, qui ex monitu Lucretiæ in nouas latebras se recepit. Illi collectis iocalibus atq; scripturis, quia chirographa, quibus opus erat, nō repererāt: ad scrinia, iuxta quæ latuerat Euryalus, transeunt: ibiq́; uoti sui compotes facti, consalutata Lucretia, recesserunt. Illa, obducto foribus pessulo: Exi mi Euryale, exi mi anime, inquit. Veni gaudiorū summa meorum, ueni fons delectationum mearū, scaturigo lætitiæ, fauum mellis. ueni dulcedō incomparabilis mea. Iam tuta sunt omnia. Iam nostris sermonibus liber campus patet. Iam locus est amplexibus tutus. Aduersari osculis nostris Fortuna uoluit: sed aspiciunt dij nostrū amorem, nec tam fidos amātes deserere uoluerunt. Veni iam meas in ulnas. nihil

hil est quod amplius uereare, meum lilium, rosarumque cumulus. Quid stas? Quid times? Tua hic sũ Lucretia. Quid cunctaris Lucretiam amplexari? Euryalus, uix tandem formidine posita, sese recepit. Complexusque mulierem: Nũquam me, inquit, tantus inuasit timor. Sed digna tu es, cuius causa talia tolerentur. Nec isthæc oscula, & tam dulces amplexus obuenire cuipiam gratis debent. Nec ego, ut uerum fatear, satis emi tantum bonum. Si post mortem rursus uiuere possem, teque perfrui, emori millies uellem, si hoc precio tui possent amplexus coemi. O mea fœlicitas. O mea beatitudo. Visum uideo: an ita est? Teneo te, an somnis illudor uanis? Tu certè hic es. Ego te habeo. Erat Lucretia leui uestita palla, quæ membris absq; ruga hærebat, nec uel pectus uel clunes mētiebantur. Vt erant artus, sic se ostentabant. Gulæ candor niualis: oculorum lumen, tanquam solis iubar: intuitus lætus: facies alacris, genæ, ueluti lilia purpureis admixta rosis. Risus

in

in ore ſuauis, atque modeſtus. Pectus amplum: papillæ quaſi duo Punica poma, ex utroque latere tumeſcebant, pruritumq; palpitãtes mouebant. Non potuit Euryalus ultra ſtimulum cohibere: ſed oblitus timoris, modeſtiam quoque ab ſeſe repulit, aggreſſusq; fœminam: Iam, inquit, fructum ſumamus amoris, rem que uerbis iungebat. Obſtabat mulier, curamque ſibi honeſtatis & famæ fore dicebat: nec aliud eius amorem, quàm uerba & oſcula poſcere. Ad quę ſubridens Euryalus: Aut ſcitum eſt, inquit, me huc ueniſſe, aut neſcitum. Si ſcitum, nemo eſt qui cætera non ſuſpicetur: & ſtultum eſt, infamiam ſine re ſubire. Si neſcitum, & hoc quoque ſciet nullus. Hoc pignus amoris eſt. Emoriar prius, quàm caream. Ah ſcelus eſt, inquit Lucretia. Scelus eſt, inquit Euryalus, bonis non uti, cum poſsis. An ego occaſionem mihi conceſſam, tam quæſitam, tam optatam amitterem? Acceptaque mulieris ueſte, pugnantem fœminam, quæ uincere nolebat, abſque negocio

uicit. Nec Veneris hæc ſatietatẽ, ut Hamoni cognita Thamar, peperit, ſed maiorem ſitim excitauit amoris. Memor tandem diſcriminis Euryalus, poſtquã uini cibiq; pauliſper hauſit, repugnãte Lucretia, receſſit. Nec ſiniſtrè quiſpiam ſuſpicatus eſt, quia unus ex baiulis putabatur. Admirabatur ſeipſũ Euryalus, dum uiã pergeret: ſecũq;, O ſi nunc, inquit, obuiam mihi ſe daret Cæſar, meq; agnoſceret, quam illi habitus hic ſuſpicionem faceret? quàm me rideret? Fabula omnibus eſſem, & illi iocus. Nunquã me miſſum faceret, donec ſciret omnia. Dicendum eſſet, quid ſibi hæc ruſtica ueſtis uellet. Sed fingerem : non hanc, ſed aliam me dicerem adijſſe matronam. Nam & ipſe hanc amat: nec ex uſu eſt, meum ſibi amorem patere. Lucretiam proderem, quæ me ſuſcepit, ſeruauitq;. Dum ſic loquitur, Niſum, Achatem, Palinurumq; cernit, eoſq; præit. Nec prius ab his cognitus eſt, quàm domi fuit, ubi poſitis ſaccis, prætextaque ſumpta, rerum pandit euentum. Dumq; quis

quis timor, & quod gaudium interceſſit, memoriter narrat, nunc timenti ſimilis, nunc exultanti fit. Inter timendum autem: Heu me ſtultum, inquit, fœminæ meum commiſi caput. Non ſic me pater admonuit, dum me nullius fœminæ fidem ſequi debere dicebat. Ille fœminam animal eſſe dicebat indomitum, infidum, mutabile, crudele, mille paſſionibus deditum. Ego paternæ immemor diſciplinæ, uitam meam mulierculæ tradidi. Quid, ſi me frumento oneratum aliquis agnouiſſet: quod dedecus, quæ nam infamia mihi & meis poſteris eueniſſet? Alienum me Cæſar feciſſet, tanquam leuem & inſanum potuiſſet me contemnere. Quid autem, ſi me uir, dũ ſcrinia uerſabat, latentẽ inuenisset? Sæua eſt lex Iulia mœchis. Exigit tamẽ dolor mariti maiores pœnas, quã lex Iulia cõceſſerit. Necat hic ferro, necat ille cruentis uerberibus, quoſdam mœchos & mugilis intrat. Sed putem⁹ uirũ pepciſſe uitę meę: nõ ne me in uincula cõieciſſet, aut infamẽ Cęſari tradidiſſet?

diſſet? Dicamus & illius me manus effu
gere potuiſſe, quia inermis erã, mihiq́ue
fidus enſis hærebat lateri: at uiro comi-
tatus erat, & arma ex pariete pendebãt,
captu facilia. In domo longus famulorũ
ordo. Clamores mox inualuiſſent, & o-
ſtia fuiſſent clauſa. Tum de me ſuppli-
cium ſumptum fuiſſet. Heu dementem
me, nulla me prudentia liberauit hoc di
ſcrimine, ſed caſus tantum. Quid caſus?
imò & promptum ingenium Lucretiæ.
O fidam fœminam: O amatricem pru-
dentem: O inſignem & nobiliſsimum
amorem. Cur me tibi non credam? cur
tuam non ſequar fidem? Mille mihi ſi ad
ſint ceruices, omnes tibi committam.
Tu fidelis es, tu cauta, tu prudens. Scis
amare, & amantem tueri. Quis tam ci-
tò excogitare potuiſſet uiam, qua me
quærentes auerteret, ut tu ipſa excogi-
taſti? Tu mihi hanc uitam ſeruaſti, ean-
dem tibi deuoueo. Non meum eſt, ſed
tuum, quod ſpiro. Nõ erit mihi durum,
perdere propter te, quod per te teneo.
Tu uitæ meæ ius habes, tu necis impe-
rium:

rium. O candidum pectus: O dulcē linguam: O ſuaues oculos: O ingeniū uelox. O membra marmorea, ſucciq; plena: quando ego uos reuiſam? quando iterum corallina labia mordebo? quando tremulam linguam ori meo immurmurantem denuò ſentiam? Papillas'ne unquam illas retractabo? Parum eſt, Achates, quod in muliere uidiſti hac. Quo propior eſt fœmina, eo formoſior eſt. Vtinam mecum unà fuiſſes. Non tā Candaulis, regis Lybiæ, formoſa uxor fuit, quàm iſta eſt. Non miror illum uoluiſſe nudam coniugem ſocio demonſtrare, ut plenius ſumeret gaudium. Ego quoque itidem facerem, ſi facultas eſſet: Lucretiam tibi nudam oſtenderē. Aliter autem nec tibi effari, quanta ſit eius pulchritudo, poſſum: nec tu, quàm ſolidum, quamq́ue plenum meum fuerit gaudium, potes conſiderare. Sed cōgaude tu mihi: quia maior fuit uoluptas mea, quàm uerbis queat exponi. Sic Euryalus cum Achate. Nec pauciora ſecū Lucretia dicebat: eius tamen tan-

to minor lætitia fuit, quo taciturnior. A'ijs fidem non habuit, ut rem posset referre. Sosiæ non audebat, præ uerecundia, totum narrare.

Pacorus interea, Pannonius Eques, domo nobilis, qui Cæsarē sequebatur, ardere Lucretiam cæpit. Et quia formosus erat, redamari se putabat, solāq; fœminæ pudicitiam obstare sibi rebatur. Illa, sicut est mos nostris dominabus, omnes uultu blando intuebatur. Ars est, siue deceptio potius, ne uerus amor palàm fiat. Insanit Pacorus, nec consolari potest, nisi Lucretiæ mentē persentiat. Solent matronæ Senenses, ad primū lapidem, sacellum Diuæ Mariæ, quod in Bethleem nuncupant, sæpius uisitare. Huc Lucretia, duabus comitata uirginibus, & anu quadā, proficiscebatur. Sequitur Pacorus, uiolāq; in manu gestās, deauratis folijs, in cuius collo epistolā amatoriā, subtilibus inscriptam mēbranis, absconderat. Nec mirere. Tradidit enim Cicero, Iliadam omnem ita subtiliter scriptam, sibi ostensam fuisse, ut te-

ſta nucis clauderetur. Offert uiolam Lucretiæ, ſeq; commendat Pacorus. Reſpuit donũ Lucrètia. Inſtat Pannonius magnis precibus. Tum anus: Recipe, inquit, hera donatum florem. Quid times, ubi nullũ eſt periculum? Parua res eſt, qua potes hunc militem placare. Secuta eſt Lucretia anilẽ ſuaſionẽ, uiolãq; ſuſcepit: parũq; ultrà progreſſa, uiolam alteri ex uirginibus tradidit. Nec diu pòſt obuiã facti ſunt duo ſtudentes, qui uirgunculã, ut ſibi florem traderet, non magno negocio induxerunt: apertoque uiolæ ſtipite, carmẽ amatorium inuenerũt. Solebat hoc hominum genus pergratum eſſe noſtris matronis. Sed poſtquam Cęſaris curia Senas uenit, irrideri, deſpici, & haberi odio cœpit. Quia plus armorũ ſtrepitus, quàm literarũ lepor noſtras fœminas delectabat. Hinc grandis liuor & ſimultas ingens erat, quærebantque togæ uias omnes, quibus nocerent ſagis. Vt ergo uiolæ dolus patuit, ad Menelaum mox itur: epiſtolamque ut legat, rogatur. Ille mœ-

ſtus domum pergit, uxorem increpat, domumq́ue clamoribus implet. Negat ſe ream uxor, remq́ue geſtam exponit, & anus adducit teſtimoniū.Itur ad Cæſarem, fit querela. Vocatur Pacorus. Is crimen fatetur:petensq́ue ueniam,nunquam ſe poſthac Lucretiam uexaturū, iureiurando confirmat. Sciens tamen Iouem non iraſci, ſed arridere periurijs amantum: ſterilem flammam, ut magis prohibitus erat,eo diligentius ſequebatur. Venit hyems, excluſisq́ue Nothis, ſolum Boream admittebat.Cadūt è cœlo niues. Soluitur in ludū ciuitas.Iactāt matronæ in uicos, iuuenes in feneſtras niuē.Hinc nactus occaſionē Pacorus,epiſtolā alteram cęra includit,cęramq́ue niue cingit: factaq́ue pila, in feneſtrām Lucretiæ iacit. Quis non omnia regi Fortuna dicat? Quis non fauorabilem eius cupiat flatum fati? Plus enim ualet hera benigni, quàm ſi te Veneris commendet epiſtola Marti.Dicunt quidam nil eſſe quod in ſapiente queat Fortuna. Hoc ego his ſapientibus concedo,

qui

qui ſola uirtute gaudent. Qui & pauperes, & ęgroti, & in tauro Phalaridis clauſi, uitam ſe credunt poſsidere beatam: qualem nullum adhuc uel uidi, uel fuiſſe putarim. Communis hominum uita fauoribus Fortunæ indiget. Hæc, quos uult, eleuat: & quos uult, deprimit. Quis Pacorũ perdidit, niſi fortuna? Non'ne prudentis conſilij fuit, in nodis uiolæ clauſiſſe tabellas: & nũc beneficio niuis epiſtolam tranſmiſiſſe? Dicet aliquis, fieri cautius potuiſſe. Quod ſi hoc conſilium fortuna iuuiſſet, & cautus hic, & prudentiſsimus iudicatus fuiſſet. Sed obſtans fatum, pilam ex Lucretiæ manibus lapſam, apud ignem duxit, ubi ſolutis calore niuibus, liquefactaque cæra tabellas manifeſtauit. Quas tum uetulæ, quę ſe calefaciebant: tum Menelaus, qui aderat, perlegerunt, nouasque lites excitarunt: quas Pacorus non excuſatione, ſed fuga uitauit. Hic amor ex uſu uenit Euryalo. Nam dũm uir greſſus & actus Pacori ſpeculatur, inſidijs Euryali locum facit. Verumque eſt, quod

dici ſolet, non facilè cuſtodiri, quod à pluribus amatur, uel impugnatur. Expectabant amantes, poſt primum concubitum ſecundas nuptias. Viculus inter ędes Lucretię atq; uicini perarctus erat, per quem pedibus in utrunq; parietem porrectis, in feneſtram Lucretiæ haud difficilis præbebatur aſcenſus. Sed huc aſcendere ſolum noctu licebat. Menelao petendum rus erat, ibiq; pernoctãdum: quì dies ab amantibus tanquam Saturnaliorum expectabatur. Fit receſſus. Mutatis Euryalus ueſtibus, in uiculum ſe recepit. Stabulum illic Menelaus habebat, quod Euryalus, docẽte Soſia, ingreſſus eſt: ibiq; noctem manens, ſub fœno latebat. Tum ecce Dromo, qui Menelai ſecundus famulus, equis præpoſitus, impleturus præſepia, fœnum ex Euryali latere ſuſcipit. Eratque amplius ſuſcepturus, ac Euryalũ furca percuſſurus, ni Soſias obueniſſet. Qui ut diſcrimen agnouit: Da mihi hãc operam, ait, frater bone. Ego hinc pabulũ equis præbebo: tu interea loci uide, an nobis

cœna

cœna instructa sit. Gaudendum est, dũ herus abest. Melius est nobis cum domina, quàm cum illo. Hæc iucunda est, & perliberalis: ille iracundus, clamosus, auarus, difficilis. Nunquã nobis bene est, dũ ille adest. Vides'ne, uentres nostros quàm iniquo castigat modio: qui semper esurit, ut nos fame cruciet. Nec sustinet muscida frusta cœrulei panis cõsumi, sed hesternũ minutal seruat in mẽsem: uniusq; cœnæ siluros, & anguillas salsas in alteram differt: & numerata fila sectiui porri, ne quid tangamus, signata recludit. Miser, qui per hęc tormenta quærit diuitias. nã quid stultius, quàm uiuere pauperem, ut locuples moriaris? Quanto melius hera, quæ nõ contenta uitulis nos pascere, & teneris hœdis, gallinas quoq; turdosq; ministrat, & uini copiam melioris. I Dromo cura, ut quàm uncta popina sit. Istud, inquit Dromo, curę habebo: mensam potius quàm equos fricabo. Herũ ego hodie in rus deduxi, ꝙ sibi malè succedat. nũquã mihi uerbum dixit, nisi uesperi, cum me

remi-

remiſit & equos. Renunciariq; dominę iuſsit, non ſe rediturum hac nocte. Laudo te, Soſia, qui tandem odiſſe cœpiſti domini mores. Ego iam mutaſſem dominum, niſi me domina matutinis retinuiſſet offellis. Nihil dormiendum eſt hac nocte. Bibamus, uoremusque, donec ueniat dies. Non tantum per menſem lucrabitur herus, quantum nos una cœna conſumemus. Audiebat hæc Euryalus libens, tametſi mores ſeruorum notabat, & idem ſibi fieri non dubitaret, cum domo abeſſet. Vtque Dromo receſsit, aſſurgens Euryalus: O quàm, inquit, beatam noctem, Soſia, tuo beneficio ſum habiturus, qui me huc duxti: & ne pateſierem, probè curaſti. Vir bonus es, meritoq; te amo, nec tibi nō gratus inueniar. Aderat hora præſcripta. lætus Euryalus, quamuis duobus perfunctus diſcriminibus, murum aſcēdit, & aperta feneſtra ſubintrat. Lucretiam iuxta foculum ſedentem, paratisque ob ſonijs expectantem reperit. Illa ut amātem agnouit, aſſurgens medium complexa

plexa eſt. Fiunt blanditiæ: dantur oſcula. Itur in Venerē tenſis uelis, feſſamque nauigio citharam nunc Ceres reficit, nunc Bacchus. Heu, quàm breues uoluptates ſunt, quàm longæ ſolicitudines. Vix horam Euryalus lætam habuerat, cum ecce Soſiam, qui reditum Menelai nunciat, gaudiumque perturbat. Timet Euryalus, fugere ſtudet. Lucretia, mēſis abſconditis, obuiam uiro pergit, reuerſumque ſalutat. Et, O mi uir, inquit, quàm bene rediſti. Nam ego te iam uillicum ruſticanū rebar. Quid tu tamen ruri tam diu? Caue, ne quid olfaciā. Cur nō domi manes? Quid me contriſtari tua abſentia ſtudes? Semper dū abes, timeo tibi. Tum ne quam adeas, formido: ut ſunt infidi uxoribus ſuis uiri. Quo metu ſi uis me ſoluere, nūquam foris dormias. Nec enim ſine te nox eſt mihi ulla iucunda. Sed cæna hic iā, pòſt cubatum ibimus. Erant tum in aula, ubi familia prandere ſolet: ibique uirum detinere Lucretia nitebatur, donec Euryalus abeūdi ſpacium ſuſcepiſſet, cui neceſſaria

cessaria est morula quædam. Menelaus autem foris cœnatus erat, seq; in thalamum recipere festinabat. Tũ Lucretia: Parum me amas, inquit: cur non potius domi apud me cœnasti? Ego, quia tu aberas, non comedi hodie, nec bibi quicquam. Venerunt tamen uillici ex Rosalia, nescio quid uini portantes, optimũ esse ferebant Trebeianum: ego præ mœstitia nihil gustaui. Nũc quoniam ades, eamus, si placet, in cellarium introrsum, gustemusq; uinum, si, ut illi dixerunt, tam suauissimum sit. Hisque dictis, lucernam dextera, uirũ sinistra manu recepit, & in intimũ penu descendit. Tamq; diu nunc hunc, nunc illũ cadum terebrauit, ac cum uiro pitissauit, donec Euryalum putauit abisse, ac ita demum ad ingratos hymenæos cum uiro transiuit. Euryalus intempesta nocte domum repetijt. Sequenti luce, siue quod sic expediebat camerę, siue suspicio mala fuit, muro fenestrã Menelaus obstruxit. Credo, ut sunt cõciues nostri in cõiecturas acuti, suspicionũq; pleni, timuisse Me-

nelaum

nelaũ loci cómoditaté: utq; parũ fidebat uxori, occasionem demere uoluisse. Nã, etsi nihil cõscius erat illi, uexatã tamen fœminã, multisq; dietim tentatam precib. nõ ignorabat. Et animũ cognoscebat mulieris instabilẽ: cuius tot sunt uoluntates, quot sunt in arboribus frõdes. Sexus enim fœmine⁹ nouitatis est auid⁹: raroq; uirũ amat, cuius copiã habet. Sequebatur ergo uiã maritorũ promulgatã, quorũ opinio est, infortunium bonis excludi custodijs. Erepta est hinc cõueniẽdi facultas, nec mittẽdis literis permissa libertas est. Nã & cauponẽ, qui post ædes Lucretiæ uinariã tabernã cõduxerat, ex qua solebat Euryalus affari Lucretiã, ac literas per arundinẽ mittere, sicuti Menelaus suasit, magistrat⁹ expulit. Restabat solus oculorũ intuitus, nutuq; tantũ se cõsalutabãt amãtes: neq; isthac amoris extrema linea cõmodè pfrui poterãt. Erat ingẽs dolor utriq;, cruciatusq; morti similis: quia nec amoris poterãt obliuisci, nec in eo pseuerare. Dũ sic anxius Euryalus, quid consi-

lij capiat, meditatur: uenit in mentem Lucretiæ monitum, quod sibi de Pandalo scripserat, Menelai consobrino. Peritosque medicos imitatus, quibus mos est, in periculosis ægritudinibus anceps adhibere medicamentum: & ultima potius experiri, quàm sine cura morbum relinquere, aggredi Pandalum statuit, remediumque suscipere, quod antea refutarat. Huic igitur accersito, & in penitiorem domus partem uocato: Sede, inquit, amice: rem grandem tibi dicturus sum, indigentem his, quas in te scio sitas, diligentia, fide & taciturnitate. Volui iamdudum hæc tibi dixisse, sed non eras mihi adhuc plenè cognitus. Nunc & te nosco: & quia probatæ fidei es, amo, & obseruo. Quod si aliud de te nescirem, satis est, quia omnes tui conciues te laudant, tum comites mei quibus cum amicitiam cõflauisti: & qui sis, & quanti pendendus, me certum fecere. Ex quibus te cupere meam beneuolentiam didici, cuius iam te facio participem: quia non minus illa es dignus,

gnus,quàm ego ſum tua. Nunc quid uelim, quoniam inter amicos res agitur, paucis exponam. Tu ſcis, mortale genus quàm in amorẽ ſit pronum. Seu uirtutis eſt,ſeu uitij,latè patet iſta calamitas. Nec cor eſt, ſi modo carneum eſt, quod amoris non aliquando ſentiat ſtimulos. Scis,quia nec ſanctiſsimum Dauid, nec ſapientiſsimum Solomonem, nec Sampſonem fortiſsimum, iſta paſſio dimiſit immunem. Incenſi præterea pectoris, & amoris improbi ea natura eſt,ut ſi quis prohibeatur,magis ardeat. Nulla re magis iſta curatur peſtis,quàm dilecti copia. Fuerunt plures, tum uiri, tum mulieres, tam noſtra quàm maiorum noſtrorum memoria, quibus inhibitio,duriſsimæ necis fuit occaſio. Contrà uerò plures nouimus, qui poſt concubitum, & amplexus paſsim conceſſos,mox furere deſierunt. Nihil conſultius eſt, poſtquam amor oſsibus hæſit, quàm furori cedere. Nam qui aduerſus tempeſtatem nititur, ſæpe naufragium facit. Et qui obtemperat procel-

læ,superat. Hæc ideo dixi, quia te scire amorem meum uolo, & quid mei causa sis facturus. Tum & quod emolumentū hinc sit oriturum, tibi non tacebo: quia iam mei cordis alteram te reputo partē. Ego Lucretiam diligo: neq; hoc, mi Pādale, mea culpa est factum, sed regente fortuna: in cuius manu est totus, quem colimus, orbis. Mihi non erant noti mores uestri, nec huius urbis consuetudines norā. Putabā ego fœminas uestras, quod oculis mōstrant, in corde sentire. Sed inescant homines uestrę matronę, & non amāt: hinc deceptus sum. Credidi nanq; amatum me Lucretiæ fore, dū me luminibus intuebatur placidis: cœpiq; contrà diligere. Nec tam elegantē dominam dignam putaui, cui uices non redderentur amoris. Nondū te noram, uel tuum genus. Amaui, putans amari. Quis enim tam saxeus est, aut ferreus, qui non amet amatus? Sed postquam fraudes noui, mēque dolis irretitum, ne meus sterilis esset amor, nisus sum omnibus artibus illam incendere, ut par pa-

ri

ri referretur. Ardere nanq;, nihilq; ure-te, tum rubor erat, tum anxietas animi, quæ me die noctuq; mirum in modum cruciabat, ac adeò introrsus, ut egredi nullo pacto ualeret. Factũ est igitur, ut me continuante, par sit amor amborũ. Illa incensa est, ego ardeo. Ambo perimus, nec remedium protelãdæ uitę nostrę uidemus, nisi tũ sis adiumẽto. Vir eã custodit, & frater. Nõ tam uellus aureũ peruigil draco seruabat, nec aditũ Orci Cerberus, quàm ista diligenter recluditur. Noui ego familiã uestram: scio quia nobiles estis, inter primores urbis, diuites, potẽtes, amati. Vtinã nunquã nouissem hã c fœminã. Sed quis est, qui possit resistere fatis? Nõ elegi hãc, sed casus dedit amandã. Sic se res habet. Tectus adhuc amor est: sed nisi bene tegatur, magnũ aliquid, quod superi auertãt, malũ pariet. Possem ego forsitã mecõpescere, si hinc abirẽ. Quod quanquã esset mihi grauissimũ, facerẽ tamẽ uestrę familię gratia, si hoc putarẽ ex usu fore. Sed nosco illius furorẽ. aut me sequeretur:

aut manere coacta, manus ſibi conſciret, quod eſſet dedecus perpetuũ ueſtrę domus. Quod igitur te uolebam, teq́; uocaui, noſtri cauſa eſt, ut obuiemus his malis. Neq; alia uia eſt, niſi ut amoris noſtri aurigã te præbeas, cureſq́; ut bene diſsimulatus ignis non fiat apertus. Ego me tibi commendo, do, deuoueo. obſequere noſtro furori, ne dum oppugnatur, magis incendatur. Cura, ut ſimul cõuenire poſsimus: quo facto, mox humiliabitur ardor, tolerabiliorq́; reddetur. Tute ſcis aditus domus, ſcis quã do uir abeſt: ſcis quando me ualeas introducere. Frater uiri aduertendus eſt, qui eſt ad has res nimium perſpicax: Lucretiamq́;, tanquam locum germani teneat, magna cura cuſtodit: uniuerſaq́; Lucretiæ uerba, auerſas ceruices, gemitus, ſcreatus, tuſsim, riſus attentè conſiderat. Hunc eludere ſententia eſt, nec ſi ne te fieri poteſt. Aſsis ergo: & quando abſuturus ſit uir, me inſtrue. Remanentemq́; fratrem diuerte, ne cuſtos affixus Lucretiæ ſit, ne ue cuſtodes adhibeat a

lios.

lios. Tibi credet: & quod Dij faxint, hāc fortasse prouinciam tibi cōmittet: quam si susceperis, & me iuueris, ut spero, iuuanda res est. Poteris enim me clā, dum cæteri dormient, intromittere, & amorem lenire furentem. Ex his quot emergant utilitates, arbitror te pro tua prudentia palàm cernere. Seruabis nāque in primis honorem domus: amorē teges, qui non posset absq; uestra infamia manifestari, sobrinam tuā in uita tenebis: Menelao uxorem custodies, cui non tam obest una nox mihi concessa, nescijs omnibus, quàm si sciente populo illam perdiderit, me sequentem.

Nupta Senatori Romano, secuta est Hippia Lydum,
Apharon & Nilum, famosaq; mœnia Lagi.

Quid. si me domi nobilem atq; potentem, Lucretia sequi statuat? quod dedecus uestri generis, quis populi risus? quę nedum uestra, sed totius ciuitatis infamia? Diceret forsitan aliquis, absumēda potius ferro, aut extinguenda uenenis est mulier, quàm id agat. Sed uæ illi, qui

se humano sanguine polluit, & maiori scelere uindicat minus. Non augenda sunt mala, sed minuenda. Nos hoc scimus, ex duobus bonis melius eligendũ: aut ex malo & bono, quod sit bonũ: sed ex malis duobus, quod minus obsit. Omnis uia periculi plena est: sed hæc, quá monstro, minus habet discriminis. Per quá nedum tuo sanguini consules, sed mihi etiá proderis: qui penè insanio, dũ mei causa Lucretiá uideo cruciari, cui potius odio esse uellẽ, quàm te rogare. Sed hic sumus, eò deducta res est, ut nisi tuis artibus, tua cura, ingenio atq; solicitudine nauis regatur, nulla salutis spes maneat. Iuua igitur & illam & me, tuamq́; domũ absq; nota cõserua. Nec me putes ingratum. Scis, apud Cęsarem quáti sim. Quicquid petieris, impetratũ tibi efficiam. Et hoc tibi ante omnia polliceor, doq; fidem, Palatinum te comitem futurũ, omnemq́; tuam posteritatẽ hoc titulo gauisuram. Ego tibi Lucretiam, meq́;, & nostrum amorem, & famam nostram, & tui generis decus committo,

mitto,tuęq; mando fidei.Tu arbiter es. Omnia hæc in te sita sunt. Vide quid agas.Et seruare potes ista,& perdere.

Subrisit,his auditis,Pādalus: factaq; morula,Noram hæc Euryale (dixit) & utinā non accidissent.Sed eum in locū, sicut abs te dictum est, res redijt,ut necesse sit me, quod iubes, efficere: nisi & nostrum genus affici contumelijs, & scandalum ingens cupiam exoriri. Ardet mulier, sicut dixti, & impotens sui est. Nisi occurro, ferro se fodiet,aut ex fenestris se dabit præcipitem. Nec uitæ iam sibi, nec honoris est cura. Ipsa mihi suum ardorem patefecit. Restiti,increpaui:lenire flammam studui.Nihil profeci. Omnia,præter te,paruifacit: nihil sine te curat.Tu illi in mente semper sedes:te petit,te desiderat,te solum cogitat.Sæpe me uocitans:Audi,precor, Euryale,dixit.Sic mulier ex amore mutata est,ut iā non eadē uideatur.Heu pietas, heu dolor:nulla pri9 in urbe tota,uel castior, uel prudētior Lucretia fuit. Mira res,si tantū iuris natura dedit Amori in

mentes humanas. Medendum est huic ægritudini. Nec alia cura est, nisi quam tu mõstrasti. Accingam me huic operi: teque, dum tempus erit, cõmonefaciã. Nec ex te gratiam quæro: quia non est officium boni uiri, cum is nihil promereatur, gratiam poscere. Ego ut uitem infamiam, nostræ imminentem familiæ, hoc ago: quod si tibi conducit, non propterea sum amandus. At enim, Euryal' inquit, ego uel sic tibi gratiã habeo, & creari te comitẽ (ut dictũ est) modò tu dignitatẽ istã nõ spernas, curabo. Nõ sperno, inquit Pãdalus: sed ne hinc profecta sit, uolo. Si uentura est, liberè ueniat. Nihil ego conditionale facio. Si potuisset hoc, te nesciente, fieri, mea ut opera apud Lucretiam esses, libentius id egissem. Vale. Et tu uale, retulit Euryalus. Postquam animum reddidisti, fac, finge, inueni, effice, ut simul simus. Laudabis, inquit Pandalus: lætusque abijt, tum quòd tanti uiri gratiam inuenisset, tum quòd se iam comitẽ esse sperabat. Cuius dignitatis tãto erat auidior, quã

to se minus cupere demõstrabat. Sũt enim homines quidam, ut mulieres, quæ cũ maximè nolle dicunt, tũ maximè uolunt. Hic lenocinij mercede sortitus est comitatũ; & auream bullam suę nobilitatis posteritas demonstrabit. In nobilitate multi sunt gradus, mi Mariane: & sanè, si cuiuslibet originem quęras, sicut mea sententia fert, aut nullas nobilitates inuenies, aut admodum paucas, quę sceleratum non habuerint ortum. Cum enim hos dici nobiles uideamus, qui diuitijs abundant, diuitiæ uerò rarò uirtutis sint comites: quis nõ uidet, ortum esse nobilitatis degenerem? Hunc usuræ ditarunt, illum spolia, proditiones alium: hic beneficijs ditatus est, ille adulationibus. Huic adulteria lucrum præbent, nonnullis mendacia prosunt. Quidam faciunt ex coniuge quæstum, quidam ex natis. Plerosque homicidia iuuant. Rarus est, qui iustè diuitias congreget. Nemo fascem amplum facit, nisi qui omnẽs metit herbas. Cõgregant homines diuitias multas: nec unde ueniãt,

ſed quàm multæ ueniant, quærunt. Omnibus hic uerſus placet,

Vnde habeas, quærit nemo, ſed oportet habere.

Poſtquam uerò plena eſt arca, tũ nobilitas poſcitur. Quæ ſic quæſita, nil eſt aliud quàm præmiũ iniquitatis. Maiores mei nobiles habiti ſunt. Sed nolo mihi blandiri. Non puto meliores fuiſſe proauos meos alijs, quos ſola excuſat antiquitas, quia non ſunt in memoria eorũ uitia. Mea ſententia nemo eſt nobilis, niſi uirtutis amator. Nõ miror aureas ueſtes, equos, canes, ordinẽ famulorũ, lautas mẽſas, marmoreas ædes, uillas, prædia, piſcinas, iuriſdictiões, ſyluas. Nã & hæc omnia ſtultus aſſequi poteſt: quẽ ſi quis nobilẽ dixerit, ipſe fiet ſtultus. Pandalus noſter lenocinio nobilitatus eſt.

Non multis pòſt diebus, ruri inter Menelai ruſticos rixatum eſt: & occiſi nonnulli, qui plus æquo biberant. Opusq́ue fuit, ad res componendas Menelaum proficiſci. Tũ Lucretia: Mi uir, inquit, grauis es homo, debilisq́ue: equi tui grauiter incedũt. quare gradariũ aliquem

aliquē recipe cōmodatū. Cūq; ille per cunctaretur, ubi'nā eſſet aliquis: Optimum, inquit Pādalus, niſi fallor, Euryalus habet: & tibi libens concedet, ſi me uis petere. Pete, inquit Menelaus. Rogatus Euryalus, mox equū iuſsit adduci: idq; ſui gaudij ſignū recepit. Secumq; tacitè dixit: Tu meum equum aſcendes Menelae, ego tuam uxorem equitabo. Conuentū erat, ut noctis ad horā quintam, in uico Euryalus eſſet, ſperaretque bene, ſi cantanté Pandalū audiret. Abierat Menelaus, iamque cœlū noctis obduxerant tenebræ. Mulier in cubili tempus manebat, Euryalus ante fores erat, ſignumque morabatur, nec cantum audiebat, nec ſcreatum. Iam præterierat hora: & ut abiret Euryalus, ſuadebat Achates, deluſumque dicebat. Durum erat amanti recedere. & nunc unam, nūc aliam cauſam manendi quęrebat. Non canebat Pandalus, quia Menelai frater domi manſerat, & omnes aditus ſcrutabatur, nequid inſidiarum fieret, noctêmque trahebat inſomnem. Cui Pandalus:

lus: Nunquamne, inquit, hac nocte cubatum ibimus? Iam nox medium poli transcendit axem, & me grauis occupat somnus. Miror te, cum iuuenis sis, senis habere naturam: quibus siccitas somnum aufert, nec unquam dormiút, nisi paululum prope diem, cum currus uoluitur septentrionalis Helices, cum iam tempus esset surgendi. Eamus iam tandem dormitum. Quid sibi uolunt hę uigiliæ? Eamus, inquit Agamemnon, si tibi sic uidetur. Antea tamen inspiciendæ sunt fores, an satis firmatæ sint, ne furibus pateant. Veniensque ad ostium, nunc unam, nunc aliam será admouit, & pessulum addidit. Erat illic ingens ferrum, quod uix duo poterant leuare, quo nonnunquam ostium claudebatur. Quod postquam Agamemnon leuare non potuit: Iuua me, inquit, Pandale. Admoueamus ferrum hoc ostio, tum dormitum ibimus. Audiebat hos sermones Euryalus: &, Actum est, tacitus ait, si hoc ferramentum adiungitur. Tum Pandalus: Quid tu paras Agamemnon?

Tanquam

Tanquam domus obsidenda sit, firmare ostium paras. An tuti sumus in ciuitate? Libertas hic est, & quies omnibus eadē. Tum hostes procul sunt, quibus cū bella gerimus, Florentini. Si fures times, sat clausum est: si hostes, nihil est quod hac in domo te possit tueri. Ego hac nocte non subibo hoc onus, quia scapulas doleo. Et infrà sum fractus, nec gestandis oneribus sum idoneus. Aut tu leua, aut sine. Vah, satis est, inquit Agamemnon: dormitumq́ue cessit. Tum Euryalus: Manebo hic adhuc horam, ait, si fortè aliquis adaperiat. Tedebat Achatem moræ, tacitusq́ue maledicebat Euryalo, qui se tàm diu retineret insomnem. Nec diu mansum est, cum per rimulam uisa est Lucretia, parum quid luminis secum ferens. Versus quam pergens Euryalus, Salue mi anime, Lucretia, dixit. At illa exterrita, fugere primùm uoluit: exinde recogitans, Quis tu es uir? ait. Euryalus tuus, inquit Euryalus. aperi mea uoluptas: iam mediam noctem hic te operior. Agnouit Lucretia uocem: sed

sedquia simulationẽ timebat,non prius ausa est aperire, quàm secreta inter se tantum nota percepit. Post hæc magno labore seras remouit. Sed quia plurima ferramenta fores retinebant, quæ manus fœminea ferre non poterat, ad semipedis duntaxat amplitudinem ostiũ patuit. Nec hoc, ait Euryalus, obstabit: extenuansq́ue suum corpus, per dextrũ latus intrò sese coniecit, mulieremq́ue mediam amplexatus est. Achates extrà in excubijs mansit. Tum Lucretia, siue timore nimio, siue gaudio exanimata, inter Euryali deficiens brachia, pallida facta est. Et omisso uerbo, ac oculis clausis, per omnia similis mortuæ uidebatur, nisi quòd adhuc calor pulsusq́ue manebat. Exterritus Euryalus subito casu, quid ageret, nesciebat. Secumq́ue: Si abeo, inquit, mortis sum reus, qui fœminam in tanto discrimine deseruerim: Si maneo, interueniet Agamemnon, aut alius ex familia, & ego perierim. Heu amor infœlix, quàm plus fellis quàm mellis habes. Nõ tam absynthium est amarum

marum, quàm tu. Quot me iam diſcriminibus obieciſti? quot mortibus meũ caput deuouiſti? Hoc nunc reſtabat, meis in brachijs ut fœminam exanimares? Cur non me potius interemiſti? Cur non me leonibus obieciſti? Heu quàm optabilius erat in huius me potius gremio, quàm iſtam in meo ſinu defeciſſe? Vicit amor uirum; abiectaque propriæ cura ſalutis, cum fœmina manſit. Eleuansq́ue altius mutum corpus, atque deoſculans, madidus lachrymis: *Heu* Lucretia, inquit, ubi nam gentium es? ubi aures tuæ? cur non reſpondes? cur non audis? aperi oculos obſecro, meq́; reſpice. Arride mihi, ut soles: tuus hic Euryalus adſum, tuus te amplectitur Euryalus. Mi anime, cur non me contrà baſias? Meum cor, obijſti, an dormis? Vbi te quærã? Cur, ſi mori uolebas, non me monuiſti, ut me occidiſſem unà tecũ? Niſi me audis, en iã latus meũ aperiet gladius, ut nos ambos habeat exitus unus. Ah uita mea, ſuauiũ meũ, deliciæ meę, ſpes unica mea, ĩtegra quies: ſiccine te,

te,Lucretia,perdo?Attolle oculos, eleua caput. Nondum mortua es, uideo. Adhuc cales,adhuc ſpiras. Cur mihi nõ loqueris? Sic me recipis? Ad hæc me gaudia uocas? Hanc mihi das noctem? Aſſurge, oro,requies mea. Reſpice tuũ Euryalum. Euryalus adſum tuus. At ſic fatus, lachrymarum flumine ſuper frontem,& mulieris tempora pluit. Quibus tãquam roſarum aquis excitata mulier, quaſi de graui ſomno ſurrexit. amãtemque uidens: Heu me,inquit, Euryale,ubi'nam fui? Cur me non potius obire ſiuiſti? Beata iam moriebar in tuis manibus. Vtinam ſic excederem, antequam tu hac urbe diſcederes. Dum ſic inuicẽ fantur,in thalamum pergunt: ubi talem noctem habuerunt, qualem credimus inter duos amantes fuiſſe,poſtquam nauibus altis raptam Helenam Paris abduxit. Tamq́ue dulcis iſta nox fuit, ut ambo negarent tam bene inter Martem Veneremq́ue fuiſſe. Tu meus es Ganymedes, tu meus Hippolytus, Diomedesq́; meus, dicebat Lucretia. Tu mihi
Polyxe-

Polyxena es, Euryalus referebat, tuque Aemylia, tu Venus ipsa. Et nunc os, nũc genas, nunc oculos commendabat. Ele uatoq; nonnũquã lodice, secreta, quæ non uiderat antea, contemplabatur: &, Plus, dicebat, inuenio, quàm putaram. Talem lauantem uidit Actæon in fonte Dianam. Quid his membris formosius? quid candidius? Iam redemi pericula. Quid est, quod propter te non debeat sustineri? O` pectus decorum. O papillæ prænitidæ. Vos'ne tango, uos'ne habeo, uos'ne manus incidistis meas? O` teretes artus. O` redolens corpus. Té'ne ego posſideo? Nunc mori est satius, quando gaudiũ hoc est recens, ne qua interueniat calamitas. Anime mi, teneo te, an somnio? Vera'ne hæc uoluptas est: an extra mentem positus, sic re or? Non somnio certè: uera res agitur. O` suauia basia, ó dulces amplexus, ô melliflui morsus. Nemo me felicius uiuit, nemo beatius. Sed heu quàm ueloces horæ. Inuida nox cur fugis? Mane Apollo, mane apud inferos diu. Cur e-

quos tam citò in iugū trahis?Sine plus graminis edant. Da mihi noctē,ut Alcmenæ dedisti. Cur tu tam repētè Titoni tui cubile relinquis Aurora?Si tam illi grata esses,quàm mihi Lucretia,haud tam manè surgere te permitteret. Nunquā mihi nox uisa est hac breuior,quāuis apud Britannos Dacosq; fuerim.

Sic Euryalus : nec minora dicebat Lucretia.Nec osculū,nec uerbū irrecompēsatū preterijt.Stringebat hic,stringebat illa.Nec post Venerē lassi iacebant: sed ut Anteus ex terra ualidior resurgebat,sic post bellū alacriores isti,robustioresq; fiebāt.Nocte peracta, cū crines suos ex Oceano tolleret Aurora,discessum est. Nec post multos dies redeūdi copia fuit,crescētib.dietim custodijs. Sed omnia superauit amor,uiāq; tandē coueniendi repit,qua usi amātes sunt. Interea Cesar,qui iā Eugenio recōciliatus erat,Romam petere destinauit.Sensit hoc Lucretia : quid enim non sentit amor? Aut quis fallere possit amantē? Sic igitur Lucretia scripsit Euryalo:

Lucre-

Lucretia Euryalo.

SI possset animus meus irasci tibi, iam succenserem, quòd abiturum te dissimulasti. Sed magis amat te, quàm me, spiritus meus, nullaq; potest ex causa aduersus te moueri. Heu meũ cor, quid est quod mihi Cæsarẽ nõ dixti recessũrũ? Ille itineri se parat: nec tu hic manebis scio. Quid obsecro de me fiet? Quid agam misera? Vbi quiescam? Si me relinquis, nõ uiuo biduum. Per ergo has literas meis lachrymis madidas, perq; tuam dextram, & datam fidem, si de te quicquam merui, aut fuit tibi quicquã dulce meum, miserere infelicis amãtis. Nõ peto ut maneas, sed ut tollas me tecum. Fingã me uesperi Bethleẽ petere uelle, unicãq; recipiã anũ. Asint illic duo trésue famuli ex tuis, meq; rapiãt. Nihil negocij est, nolenté eripere. Nec tibi dedecori puta: nam & filius Priami cõiugem sibi raptu parauit. Non iniuriaberis uiro meo: is enim omnino me perditurus est. Namq; nisi me abducas, mors illi me auferet. Sed noli tu esse

crudelis, meque morituram relinquere: quæ te pluris semper, quàm me, feci. Ad hæc Euryalus in hunc modum rescripsit:

Euryalus Lucretiæ.

CElaui te usq; nûc, mea Lucretia, ne te nimium afflictares, antequam tẽpus esset. Scio mores tuos. Noui te, quia te nimium crucias. Nec Cæsar sic recedet, ut non sit reuersurus. Ex urbe postquam reuerterimus, hàc iter est nobis in patriam. Quòd si Cæsar aliá uiam fecerit, me certe, si uixero, reducem uidebis. Negentq; mihi Superi in patriá reditum, errabundoq; similem reddant Vlyssi, nisi huc reuertar. Respira ergo mi anime, sumeq; uires. Noli te macerare: quin uiue potius læta. Quod dicis de raptu, esset mihi tum gratum, tum iucundissimum. Nec mihi maior præstari uoluptas posset, quam te semper mecum habere, ac meo ex arbitrio potiri. Sed consulendum est magis honori tuo, quàm cupiditati meæ. Exigit náq; fides tua, qua me côplexa es, tibi ut consi-

conſilium fidele prębeam,& quod in ré ſit tuam. Tu te ſcis prænobilem eſſe. & in clara familia nuptam. Nomen habes tum pulcherrimæ,tum pudiciſsimę mulieris. Nec apud Italos ſolum tua fama clauditur, ſed & Teutones & Pannonij & Bohemi,& omnes Septentrionales populi tuũ nomẽ agnoſcunt. Quod ſi ego te rapiam, mitto dedecus meum, quod tui cauſa flocci facerẽ: qua ignominia tuos afficeres neceſſarios? quib. doloribus tuam matrẽ pungeres? quid de te diceretur? quis rumor exiret in orbem? Ecce Lucretiam,quæ Bruti coniuge caſtior, Penelopæq; melior dicebatur,iam mœchũ ſequitur, immemor domus, parentum & patriæ. Non Lucretia,ſed Hippia eſt,uel Iaſonem ſecuta Medea. Heu,me quantus mœror haberet,cum de te talia dici ſentirẽ. Nunc amor noſter clãm eſt. Nemo te non laudat. Rapina turbaret omnia. Nec unquam tam laudata fuiſti,quàm tunc uituperareris. Sed mittamus famã. Quid, quod amore perfrui noſtro non ualere

mus? Ego Cæsari seruio. is me uirum fecit & potentẽ & diuitem: nec ab eo recedere possum, sine mei status ruina. Quod si eum desererẽ, non quirem te decenter habere. Si curiã sequerer, nulla quies esset. Omni die castra mouemus. Nusquam Cæsari tanta mora fuit, quanta nunc Senis: idq; belli necessitas fecit. Quod si te circunducerem, & quasi publicam fœminam in castris haberem, uide quàm esset tibi & mihi decorum. His ex rebus, obsecro te, mea Lucretia, mentẽ ut istã exuas, honoriq; consulas: nec furori magis, quàm tibi blandiaris. Alius fortassis amator aliter suaderet, & ultro te fugere precaretur: ut te, quamdiu posset, abuteretur: nihil futuri prouidus, dũ præsẽti satisfaceret ęgritudini. Sed is nó esset amator uerus, qui libidini magis, quàm famæ consuleret. Ego, mea Lucretia, quod frugi est, moneo. Mane hic, te rogo: nec me dubita rediturũ. Quicquid apud Etruscos incumbet agendum Cæsari, mihi cómitti curabo. Daboq; operam

rū, ut te frui absq; tuo incómodo possim. Vale, Viue, Ama. Nec meū, quàm tuus est, igné putato minoré: aut me nō inuitissimū hinc abscedere. Iterū uale mea suauitas, & animæ cibus meæ.

Acquieuit his mulier, & impérata facturam se rescripsit. Paucis pòst diebus, Euryalus cum Cæsare Romá perrexit: nec diu moratus, illic febribus est incé sus. Infœlix penitus, qui cū arderet amore, febrium quoq; cœpit ignibus æstuare. Cūq; iam uires amor extenuasset, adiectis morbi doloribus, parum superat uitæ: tenebaturq; spiritus medicorum remedijs potius, quàm manebat. Cæsar ad eum dietim ueniebat, & quasi filium consolabatur, omnesq; curas Apollinis adhiberi iubebat. Sed nulla ualentior fuit medela, quàm Lucretiæ scriptū, quo uiuenté illam & sospitem cognouit. Quæ res febres aliquáti sper imminuit, Euryalumq; surgere in pedes fecit. Qui & coronationi Cæsaris interfuit, ac ibi militiam suscepit, & aureum calcar. Post hæc cū Cæsar Pe

rusium peteret, is Romæ mansit, nondum ex integro sanus. Exinde Senas uenit, quamuis adhuc debilis, extenuatusque faciem: sed intueri potuit, non alloqui Lucretiam. Epistolæ plures utrinque missæ sunt. Rursus de fuga tractatum est. Triduò illic mansit Euryalus. Demum cum sibi aditus omnes uideret ereptos, recessum eius amanti renunciauit. Nunquam tāta dulcedo fuit in conuersando, quanta in recedendo mœstitia. Erat in fenestra Lucretia, per uicum iam Euryalus equitabat. Humidos oculos alter in alterum iecerat, flebat unus, flebat alter. Ambo doloribus urgebantur, ut qui suis ex sedibus cor auelli uiolenter sentiebant. Si quis, in obitu quantus sit dolor, ignorat, duorum amantum separationem considerat: quamuis maior hic anxietas inest, & cruciatus ingentior. Dolet animus in morte, quia corpus relinquit amatū. Corpus absente spiritu nec dolet, nec sentit. At cum duo inuicem conglutinati per amorem sunt animi, tanto pernicioσior

nicioſior eſt ſeparatio: quanto ſenſibilior eſt utriuſque dilectio. Et hic ſanè iam non erant ſpiritus duo, ſed quẽadmodum inter amicos putat Ariſtophanes, unius animæ duo corpora facta erant. Itaque non recedebat animus ab animo, ſed unicus amor ſcindebatur in duos. Tum cor in partes diuidebatur. Mentis pars ibat, & pars remanebat. Et omnes inuicem ſenſus diſgregabantur, & à ſeipſis diſcedere flebant. Non manſit in amantium faciebus ſanguinis gutta: niſi lachrymæ fuiſſent, & gemitus, ſimillimi mortuis uidebantur. Quis ſcribere, quis referre, quis cogitare poſſet illarum mentium moleſtias, niſi qui aliquãdo inſaniuit? Laodamia, recedente Proteſilao, & ad ſacras Ilij pugnas eunte, exanguis cecidit. Eadẽ poſtquam uiri mortem agnouit, uiuere amplius minimè potuit. Dido Phœniſſa poſt fatalẽ Aeneæ receſſum ſeipſam interemit. Nec Porcia poſt Brúti necẽ uoluit ſupereſſe. Hæc noſtra, poſtquam Euryalus ex uiſu receſsit, in terram col

lapſa, per famulas recepta eſt, cubilíque data, donec reſumeret ſpiritum. Vt uerò ad ſe redijt, ueſtes aureas, purpureasque, & omnem lætitiæ recluſit ornatum: pelliceisque tunicis uſa, nunquam poſthac cantare audita eſt, nunquam uiſa ridere. Nullis facetijs, nullo gaudio, nullis unquam iocis in lætitiam potuit reuocari. Quo in ſtatu dum aliquádiu perſeuerat, ægritudinē incidit. Et quia cor ſuum aberat, nullaque menti conſolatio dari poterat, inter multum plorátis brachia matris, ac collachrymantes, & fruſtra conſolatorijs uerbis utentes neceſſarios, indignantem animam exhalauit. Euryalus, poſtquam ex oculis nunquá ſe amplius uiſuris abijt, nulli inter eundum locutus, ſolam in mente Lucretiam gerebat: & an unquam reuerti poſſet, meditabatur. Venitque tádem ad Cæſarem, Peruſij manentem: quem deinde Ferrariam, Mantuam, Tridentum, Conſtantiam, & Baſileam ſecutus eſt, ac demum in Vngariam atq; Bohemiam. Sed ut ipſe Cæſarem, ſic eū

Lucretia

Lucretia ſequebatur in ſomnis, nullam que noctem ſibi quietam permittebat. Quam ut obijſſe uerus amator agnouit, magno dolore permotus, lugubrẽ ueſtem recepit: nec conſolationem admiſit, niſi poſtquã Cæſar ex ducali ſanguine uirginem ſibi, tum formoſam, tum caſtiſsimam atque prudentem, matrimonio coniunxit. Habes amoris exitum, Mariane mi amantiſsime, non ficti, neque fœlicis: quem qui legerint, periculum ex alijs faciant, quod ſibi ex uſu ſiet. Nec amatorium bibere poculum ſtudeant: quod longè plus aloes habet, quàm mellis. Vale. Ex Viẽna, V. Nonas Iulij. Anno 1444.

Pius

PIVS SECVNDVS P. M. Carolo Cypriaco S. P.

TRactatum de amore olim, ſenſu pariterq́; ętate iuuenes, dum nos ſcripſiſſe recolimus, Carole fili dilectiſsime, pœnitentia immodica pudorq́; ac mœror animum noſtrum uehementer excruciant. Quippe qui ſciamus, quiq́; proteſtati expreſsè fuerimus, duo in eo cõtineri libello: apertam uidelicet, ſed heu laſciuam nimis, prurientemq́ue amoris hiſtoriam: & morale, quod eam conſequitur, ædificans dogma. Quorũ primum fatuos atque errantes uideo ſectari quàm plurimos: alterum, heu dolor, pene nullos. ita deprauatum eſt, atque eluſcatum, infœlix mortalium genus. De amore igitur quæ ſcripſimus olim iuuenes, contemnite ô mortales, atque reſpuite. Sequimini, quæ nunc dicimus: & ſeni magis quàm iuueni credite. Nec priuatum hominem pluris facite, quàm pontificem. Aeneam reijcite, Pium ſuſcipite. Illud gentile nomen parentes

rentes indidere nascenti: hoc Christianum in Apostolatu suscepimus. Porrò si, quem descripsimus Euryali Lucretiæque amorem, deuoti, ut accepimus, ô miseri, ô insipientes, perlegitis: huc propensius iam iam accedite, quandoquidem non duorum modò, sed omniũ amorẽ, immò ut poetę fingunt, deum amoris Cupidinem, quanto possumus artificio describemus. Si artem quæritis, ô scriptorum nostrorum curiosi lectores: plus artis profectò hic, quàm ibi, reperietis. Si fructum, si compendium, si ornatum: hic totus est fructus, compẽdium totum: de ornatu, aliorum detur iudicium.

Antido-

ANTIDOTVM AD PRECEDENTEM Euryali & Lucretię historiam, Eiusdē Aeneæ Syluij, dicti postea Pij Papæ Secundi.



Vidimus effigiem lasciui nuper Amoris,
Quæ nimium mentem mouit imago meam.
Nec barbam malis, nec corpore tegmē habebat:
Nudus terga, manus, pectora, crura, pedes.
Atq; humeris alæ suberant, & flexilis arcus:
Lumina sub tenero cæca supercilio.
Cur puer imberbes nullā lanugine malas,
Mollia cur nulla corpora ueste tegat:
Lumine cur careat, pharetrā cur gestet, & arcū,
Cur habeat pennas, Calliopea refer.
Sic ego sic retulit quæsitas illico causas,
Maxima Pegasei Calliopea chori.
Qui sapit, euitat malè sana Cupidinis arma:
Et tantum pueros intrat ineptus amor.
Siue quòd est puero similis, qui cœpit amare,
Perdidit & mentem; pingitur inde puer.
Pingitur & nudus: nullum seruare pudorem
Quòd meminit simplex et manifestus amās.

Pingitur et cæcus: quia nõ bene cernit honestũ,
Nec scit quò uirtus, quò ferat error, amans:
Vel quia, quæ peccet, credit secreta latêre
Cuncta, nec in sese lumina uersa uidet:
Sic est omnis amans: sic se, sic omnia nescit,
Consilium, famam, fœdera, iura, deos.
Aurea quòd curuo torquebat spicula cornu:
Pungere corda ferus significatur amor.
Quòd leuib. uolucres humeris suspenderat alas,
Causa est, huc illuc quòd leuis errat amans.
Vel quòd amor cursum nõ semper seruat eũdẽ,
Nunc abit, & paruas post inde redit moras.
Dixerat, & pressis obmutuit orsa labellis,
Effudi tales protinus ore sonos:
Quã uidi effigiem, pharetrã gestabat, et arcũ,
Fax tamen in dextra non fuit ulla sua.
Sed quoniam ueterum finxere poemata uatũ,
Quos ego quid temerè commemorasse putẽ?
Dic quarènam tedas fertur gestare Cupido:
Da precor, armatas cur habet igne manus?
Quæsitam uerbis respondens Musa duobus,
Sic leuiter causam reddidit: Vrit Amor.
Accipe lasciuus quæ nam sit Amoris imago,
Carole Cypriaci gloria magna soli.
Vt leuius miserum caueas, dum noris, Amorẽ:
Et redeas ad te, dum mea metra leges.

Prosa.

magiſtros, moresq́; eorum & uitam diligenter inquire: & inuenies, paucis exceptis, iracũdos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, proteruos, & ſub obtentu ſapientiæ ſua uicia palliantes: cum domi faciant ea, quę in ſcholis arguiſſent. Mētior fortaſſe, accuſandi gratia. Nonne idipſum Tullius fatetur, & quæritur in hæc uerba? Quotus quiſque philoſophorum inuenitur, qui ſit ita morigeratus, ita animo & uita inſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem uitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? Videre licet alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſeruos, ut cum eorum uita mirabiliter pugnet oratio. hoc Cicero. Qua de re coacti ſunt cõplures, hi uerò maximè qui ſequuntur, in Venerem, inque libidinoſos & molles, imò in brutales Veneris mundiq́ue amatores, taliter exclamare.

Prudentius.

Ha Venus, ad nutũ trahis omnia: numina cœli
Astra moues, alioq; rotas errore planetas,
Accendis gelidam sub fratris lampade Phœbẽ:
Tu fera, tu cæca, cæci tu ianua lethi,
Corpora cõmaculas, animas in Tartara mergis.
Abde caput tristi iã feruida pestis Abysso.
Occide prostibulum, manes pete, claudere Auerno,
Inq; tenebrosum noctis detrudere fundũ.

Architrenius.

Combussit Phrygiũ pastorẽ, Pergama, Græcos,
A Veneris surgens faculis amor, ignis, & ira.
Canduit Alcides Veneris Nessiq; fauilla,
Hoc sale sal hominum Salomõ insulsus amari
Demeruit, morem qui amaro gessit amori.

Iuuenalis.

— Sed peiores qui talia uerbis
Herculis inuadunt, & de uirtute locuti
Clunem agitant: ego te ceuentẽ Sexte uerebor?
Infamis Varillus ait, quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.

Lactantius.

Lactantius.

IGitur qui docét tantùm, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pódus. Quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare? Bonùm est autem recta ac honesta prę-cipere: sed nisi & facias, mẽdacium est: Et est incongruens atque ineptũ, nõ in pectore, sed in labijs habere bonitatẽ.

Seneca in Epistolis.

PLerique philosophorum tales sunt, ut sint diserti in conuicium suum. Quos si audias in libidinem, in auariciam, in ambitionem perorantes, iudicium suum professos putes: adeò redũdant ad ipsos maledicta in publicum missa. Quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides uenena. Quosdam uerò nec pudor tenet uiciorum, sed patronicia suæ turpidinis fingunt, ut etiã honestè peccare uideantur. Faciet enim sapiens, quæ non probabit, ut etiã ad maiora transitum inueniat: sed relinquet mores bonos, sed tempori aptabit:

bit:& quibus alij utuntur in gloriã aut uoluptatem, utetur augendæ rei causa.

Lactantius Instit. lib. 3.

ARistippo Cyrenaicorum magistro, cum Thaide nobili scorto fuit consuetudo. Quod flagitiũ grauis ille philosophiæ doctor sic defendebat, ut diceret, Multum inter se & cæteros Thaidis amatores interesse, quòd ipse haberet Thaidem, alij à Thaide haberentur. O` præclara, & bonis imitanda sapientia. Huic uerò liberos in disciplinam dares, ut discerent habere meretricem. Aliquid inter se & perditos interesse dicebat, quòd illi sua bona perderent, ipse gratis luxuriaretur. In quo planè sapientior meretrix fuit, quæ sic philosophum habuit pro lenone, ut ad se omnis iuuentus, doctoris exemplo & auctoritate corrupta, sine ullo pudore concurreret. Quid ergo interfuit, quomodo philosophus ad meretricem famosissimam cõmearet, cum eum populus & riuales sui uiderent omnibus perditis nequiorem? Nec satis fuit,

ita

 749

ita uiuere : ſed etiam docere libidines cæpit, ac mores ſuos de lupanari ad ſcholas tranſtulit, differens uoluptatem corporis eſſe ſummum bonum. Quæ doctrina execrabilis & pudenda, nõ in corde philoſophi, ſed in ſinu meretricis eſt nata.

FINIS TRACTATVS AEneæ Syluij de Amore.

BASILEAE, EX OFFICINA
Ioannis Oporini, *Anno Salutis hu-
manae* M. D. LIIII. *Men-
se* Augusto.

